BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
IOSEPHO FÓGEL MODERANTE REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ

SAECULUM XVI.

5

NICOLAUS OLAHUS

HUNGARIA — ATHILA

EDIDERUNT

COLOMANNUS EPERJESSY ET LADISLAUS JUHÁSZ

MCMXXXVIII. — K. M. EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

2005 JÚL 25.

2004 JÚL 01.

ME Központi Könyvtára
534594
MISKOLC

908.439=71
871(439)-991.1=71

MISKOLC

EXCUDEBAT TYPOGRAPHIA ÁRPÁD NOMINATA, SZEGED.

INTRODUCTIO.

I. - De vita scriptisque Nicolai Olahi.

A) VITA. Nicolaus Olahus in media saeculi XVI. parte unus ex iis erat' qui in vita politica et ecclesiastica excellebant. — Die 10. Ianuarii a. 1493. in oppido Szeben (Cibinium in Transsylvania) e familia Transalpinica principali, parentibus Stephano iudice regio oppidi Szászváros (in Transsylvania), cognato Matthiae regis Hungarorum (1458—90.) et Barbara Huszár (Hwzar) natus est. In schola capituli Varadiensis didicit; mox in aula Sigismundi Thurzo episcopi Varadiensis et Uladislai II. regis (1490—1516.) moratur. A. 1516. se vitae ecclesiasticae dedit; secretarius Georgii Szatmári cancellarii et episcopi Quinqueeccleslensis fit et ibidem canonicus promovetur. Georgio Szatmári a. 1521. archiepiscopo Strigoniensi electo Olahus canonicus Strigoniensis et archidiaconus Comaromiensis factus est. Mortuo patrono Szatmári (1524.) Ludovici II. regis (1516—26.) a secretis et consiliis creatur. Ludovico rege in pugna ad Mohács (1526.) mortuo Olahus se comitem viduae reginae Mariae, quae a fratre Carolo V. Caesare locumtenens Hollandiae creata est, addidit et apud eam usque ad annum 1542 plerumque Bruxellis degebat. Hic a. 1536. primum Hungariam, deinde 1537. Athilam scripsit; amicitia cum Erasmo Roterodamo coniungitur. In Hungariam reversus vicecancellarius Ferdinandi I. regis (1526—64.), mox episcopus Zagrabiensis et cancellarius regius (1543.), deinde episcopus Agriensis (1548.), tum archiepiscopus Strigoniensis et summus cancellarius (1553.), postremo locumtenens regis (1562.) electus est. A. 1561. Iesuitas in Hungariam introduxit et Collegium Societatis Iesu Tirnaviense, a. 1566. Strigonii Seminarium fundavit. Nicolaus Olahus domui Habsburgianae et religioni catholicae operam egregiam navavit; vir fidelissimus aulae regiae; a. 1563. Maximilianum archiducem vivente patre Ferdinando regem coronavit; a. 1564. Viennae exsequiis Ferdinandi regis aderat. Reformationem in Hungaria propagatam reprimebat; synodos convocat et in diaetis pro religione catholica novas leges constituendas urget. Strigonio a Turcis capto archidioecesim Tirnavia (Nagyszombat) gubernat. — Olahus ad res litterarias quoque ingentes sumptus fecit; humanistae Hollandiae eum Maecenatem honorabant observabantque. Praeter Erasmum Ursinus Velius poeta et Paulus Iovius scriptor rerum Italus in amicorum numero erant. Secretarius eius Nicolaus Istvanffy postea scriptor rerum Hungaricarum egregius fuit. Duas bibliothecas (Viennae et Tirnaviae), habuit; dives opum complura aedificia (Viennae, Posonii et Tirnaviae), praeterea multos vicos et fundos possidebat. — Die 15. Ianuarii a. 1568. 75 annorum Posonii mortuus et, sicut voluit, Tirnaviae sepultus est; testamento magnam pecuniam ecclesiae legavit.

B) OPERA. Athila. — Carmina.[1]) — Brevis descriptio cursus vitae Benedicti Zercheky. — Catholicae ac Christianae religionis praecipua quaedam capita. — Compendiarium suae aetatis chronicon. — Ephemerides, quas in Ephemeridibus astronomicis Petri Pilati Veronensis a. 1552. impressis manu sua adnotavit Olahus ab anno 1552. usque ad annum 1559. — Epistolae. — Genesis filiorum ser. regis Ferdinandi I. ex ser. Anna regina natorum a. 1549. conscripta. — Hungaria. — Instructio pastoralis ac clerum.

BIBLIOGRAPHIA. De Nicolao Olaho copiosius scripserunt (v. praeterea bibliographiam in his operibus infrascriptis necnon editiones inferius memoratas): *Haner*, Georgius Ieremias, De scriptoribus rerum Hungaricarum et Transilvanicarum scriptisque eorundem antiquioribus ordine chronologico digestis adversaria. Tomus I. Viennae, 1774, pp. 178—84. — Nicolai Oláh Codex epistolaris. MDXXVI—MDXXXVIII. Recensuit Dr. Arnoldus *Ipolyi*. Budapestini, 1876. — *Kollányi*, Ferenc (Franciscus), Oláh Miklós irodalmi foglalkozásai a külföldön. (Operae litterariae Nicolai Olahi apud exteras nationes.)

[1]) In hac Bibliotheca iam apparuerunt.

In ephemeride Új Magyar Sion, Esztergom, 1885., pp. 171—79., 252—62. — *Idem*, Oláh Miklós és Rotterdámi Erazmus. (Nicolaus Olahus et Erasmus Roterodamus.) In ephemeride Új Magyar Sion, Esztergom, 1885., pp. 585—604., 736—58. — *Idem*, Oláh Miklós. (De Nicolao Olaho.) In ephemeride Katholikus Szemle, Budapest, 1888., pp. 16—64. — *Idem*, Esztergomi kanonokok. (Canonici Strigoniensis.) 1100—1900. Esztergom, pp. 132—35. — *Hunfalvy*, Pál (Paulus), Oláh Miklós családi viszonyai és Hungariája. (De rebus familiaribus Nicolai Olahi et de Hungaria eius.) In ephemeride Irodalomtörténeti Közlemények, Budapest, 1891., pp. 35—40. — *Merényi*, Lajos (Ludovicus), Oláh Miklós végrendelete. (Testamentum Nicolai Olahi.) In ephemeride Történelmi Tár, Budapest, 1896., pp. 136—59. — *Békefi*, Remig (Remigius), Oláh Miklós nagyszombati iskolájának szervezete. (Organismus scholae Tyrnaviensis Nicolai Olahi.) In ephemeride Századok, Budapest, 1897., pp. 881—902. — *Szinnyei*, József (Iosephus), Magyar írók élete és munkái. (Vitae et opera scriptorum Hungarorum.) Tomus IX., Budapest, 1903., coll. 1267—72. — *Sörös*, Pongrác (Pancratius), Ötven év Oláh Miklós életéből. (Quinquaginta anni e vita Nicolai Olahi.) In ephemeride Katholikus Szemle, Budapest, 1903., pp. 327—43, 416—32. — *Idem*, Egy fejezet Oláh Miklós életéből. (Capitulum quoddam e vita Nicolai Olahi.) In ephemeride Katholikus Szemle, Budapest, 1905., pp. 113—33. — *Noszkay*, Ödön (Edmundus), Oláh Miklós levelezésének művelődéstörténeti vonatkozásai. (In epistolis Nicolai Olahi quid ad historiam culturae humanae civilisque attineat.) Érsekújvár, 1903. — *Balogh*, Margit (Margaretha), Oláh Miklós Hungariája mint művelődéstörténeti kútfő. (De Hungaria Nicolai Olahi ut fonte historiae culturae humanae civilisque.) Budapest, 1903. — *Pintér*, Jenő (Eugenius), Magyar irodalomtörténet. (Historia litteraturae Hungaricae.) Tomus II. Budapest, 1930., passim (v. Indicem). — *Thienemann*, Tivadar (Theodorus), Mohács és Erasmus. (Mohács et Erasmus.) In ephemeride Minerva, Budapest, 1934., pp. 27—52. — *Hóman*, Bálint (Valentinus)—*Szekfű*, Gyula (Iulius), Magyar történet. (Historia Hungarica.) Ed II. Budapest, tomi II. (1936.), III. (1935) et IV. (1935.) passim (v. Indicem in tomo [1936.] p. V. 95.). — *Erdélyi*, László (Ladislaus), Magyar történelem. Művelődés- és államtörténet. (Historia Hungarica. Historia culturae humanae civilisque et reipublicae.) Tomus I. Budapest, sine anno, pp. 362—67. — *Juhász*, Ladislaus, De carminibus Nicolai Olahi in mortem Erasmi scriptis. In opere Gedenkschrift zum 400. Todestage des Erasmus von Rotterdam. Basel, 1936., pp. 316—25.

INTERPRETATIONES HUNGARICAE. Szamota, István (Stephanus), Régi utazások Magyarországon és a Balkán-félszigeten. (Itinera vetera in Hungaria et in paeninsula Balkan.) Budapest, 1891. A capite IV. usque ad finem paene tota Hungaria traducta est in pp. 518—55. — V. praeterea editionem 1934., Budapest.

Nicolaus Olahus Hungariam die 16. mensis Maii a. 1536. et Athilam[2]) fere post annum finivit. Textui opusculorum marginalia ipse adiecit.[3]) Hungariam paene totam e sua scientia composuit; in particularibus Pompeium Trogum, Herodotum, Plinium, Ptolemaeum, Dionem Cassium, Caelium, Aeneam Silvium, Iordanem, Iohannem Thurocz (Chronica Hungarorum) et testes sui temporis nonnullos adhibuit. Ad Athilam componendum Iohannem Thurocz, Iordanem, Sabellicum et Callimachum Experientem[4]) plerumque affert, necnon parum Pomponium Melam, Suidam et Eutropium. Opus grande Antonii de Bonfinis (Rerum Ungaricarum Decades)[5]), sicut aetas eius, prorsus ignoravit, quod et causa fuit operis ab Olaho incepti. Olahus enim historiam Hungarorum totam conscripturus erat (A 3, 18), cuius pars prima Hungaria, secunda Athila fuerunt; hoc consilio autem mox destitit (A 17, 12).

[2]) In editionibus plerumque, ut ex Annotationibus Criticis elucet, parum recte Atila scribitur.

[3]) Certum est marginalia Athilae ab ipso Olaho scripta esse, in editione s enim, in qua praeter alia opera Athila ut editio princeps apparuit, solus Athila marginalibus instructus est.

[4]) Attila Callimachi in hac Bibliotheca iam apparuit (ed. Tl. Kardos).

[5]) Tria volumina in hac Bibliotheca iam apparuerunt (edd. I. Fógel—B. Iványi—L. Juhász).

II. - De codicibus et editionibus Hungariae et Athilae.

De Hungaria nunc iam solum codicem habemus.

Hungaria, quod ad editiones attinet, tres[6]) codices habuit: 1. codex autographus Nicolai Olahi (α; periit); 2. de codice autographo derivatus codex V, quem ipse Olahus describi iussit; 3. de codice V ab Olaho primum correcto derivatus et fortasse ab Olaho describi iussus codex x[7]), qui periit. - Olahus, postquam codex x descriptus est, codicem V secundum quoque correxit. - Hungaria post scriptam solum duobus saeculis post (1735.) in lucem prodiit; duas editiones habet: b (1735.) de codice x edita est et t (1763.) de codice V, postquam editio b post codicem V correcta ut manuscriptum typographicum fundamento posita est, edebatur.

De Athila nunc iam nullus codex exstat.

Athila, quod ad editiones attinet, duos[6]), ut suspicamur, codices habuit, et quidem autographum et fortasse autographo derivatum codicem iussu Olahi descriptum, quem ipse Olahus a. 1567. vel paulo ante Sambuco ad edendum tradidit, excusum autem Olahus mense Ianuario a. 1568. mortuus videre non potuit, nam editio s mense Martio eiusdem anni typographiam reliquit. - Athila quinque editiones habet: 1. s (1568.); 2. f secundum s edita; 3. h secundum f respecta editione s edita; 4. c secundum h respecta editione s edita; 5. t secundum c respecta editione f edita.

a) Codices.

V — Vindobona, National-Bibliothek, cod. Lat. 8739., saec XVI., chart., magnitudo 21·5x30 cm., foll. 31. In fine folium (32.) fere saeculo XVII. periit.[8]) — Codex continet Hungariam una cum carmine Ad lectorem; fol. 1.: Ad lectorem, foll. 2—31.: Hungaria. — Hungariam Olahus fortasse eodem anno, quo (1536.) scripsit, per librarium e suo manuscripto describendam curavit, cui paulo post praefixa est charta alius materiae carmen Ad lectorem per eundem librarium descriptum continens; in hoc folium (r) inscripsit deinde Olahus commentarium ad totum opus pertinens: Haec scripta a me fuere Bruxellis 16. Maii, anno 1536., dum essem serenissimae reginae Mariae viduae divi Ludovici regis Hungariae, sororis Caroli et Ferdinandi imperatorum a secretis et consiliis. Codex antiquitus numeratus est. — Olahus codicem (et carmen Ad lectorem et Hungariam) a librario finitum et correctum compluriens correxit, quae correctiones in duas partes dividi possunt; correctiones primae partis ante descriptum codicem x[9]), secundae partis postea ab Olaho effectae sunt.[10]) Correctiones et librarii et Olahi et primum et secundum effectae a nobis in Annotationibus Criticis diligentissime conscriptae sunt. — Sunt in codice aliae inscriptiones paene nullius momenti posterioribus saeculis inscriptae, quas in Annotationes Criticas assumere supervacaneum esse putavimus.

E[11]) — Budapest, Egyetemi Könyvtár (Bibliotheca Universitatis), H. 46., saec. XVI., chart., foll. 235. — Codex continet carmen Ad lectorem. — Codex e pluribus fasciculis compactus carmina Nicolai Olahi collecta et maximam partem carmina ad eum scripta continet. Paene omnes fasciculos ipse Olahus per librarium describendos curavit. In fasciculo I. carmina Nicolai Olahi ab ipso Olaho correcta continenti carmen Ad lectorem in fol. 19r—v. invenitur.

---

[6]) Misit praeterea singulos codices manuscriptos (et Hungariae et Athilae) Conrado Goclenio et Petro Nannio statim, postquam scripserat.

[7]) Cum codex descriptus est, omnes correctiones Olahi assumptae sunt. Fieri potest, ut codicem descriptum ipse Olahus paululum corrigendo perlegerit, ut ex editione b suspicari possumus.

[8]) Editio t (1763.) iam codice manco usa est.

[9]) V. paulo superius hunc codicem deperditum, ubi generatim de codicibus et editionibus Hungariae locuti sumus.

[10]) V. ibidem profusius.

[11]) Codicem copiosissime descriptum (littera B significatum) v. Nicolaus Olahus, Carmina, edd. I. Fógel—L. Juhász (in hac Bibliotheca), ubi manum Olahi corrigentem supponere editores ausi usque ad id tempus non erant.

b) Editiones.

s — 1568., Basilea. Ioannes Sambucus e manuscripto ab Olaho sibi tradito primum Athilam edidit in editione Bonfiniana: Antonii Bonfinii Rerum Ungaricarum decades quatuor cum dimidia; et quidem libro VII. decadis I. post sententiam 92.[12]) Quia codicem manuscriptum textum ab Olaho approbatum continens non habemus, in edendo Athila hanc editionem etiam marginalia, quae alibi huic editioni desunt, praebentem plane secuti sumus. In fine editionis in indice Bonfiniano etiam Athila Olahi laudatur. Athila in pp. 107—36.

f — 1581., Francofurtum. Ioannes Sambucus in editione altera Bonfiniana: Antonii Bonfinii Rerum Ungaricarum decades quatuor cum dimidia, in in pp. 862—90. post editionem s Athilam Olahi iterum edidit. In fine editionis item index Bonfinianus, qui ab eo, qui in editione s est, aliquanto differt.

h — 1606., Hanovia. In editione Bonfiniana: Antonii Bonfini Rerum Ungaricarum decades quatuor cum dimidia, Athila Olahi tertium editus est secundum editionem f respecta editione s. Ceterum haec editio paene eadem est, atque editio f, sic Athila quoque in iisdem paginis invenitur: 862—90. In fine item index Bonfinianus.

c — 1690., Colonia Agrippina. In editione Bonfiniana quartum editus est Athila Olahi secundum editionem h respecta editione s. Marginalia Athilae in hac editione admodum aucta sunt, quae nos in Annotationibus Criticis diligentissime composuimus. In indice Bonfiniano Athila Olahi non laudatur.

b — 1735., Posonii. Matthias Bel: Adparatus ad historiam Hungariae sive collectio miscella monumentorum ineditorum partim, partim editorum, sed fugientium. Conquisivit, in decades partitus est et praefationibus atque notis illustravit Matthias Bel. Cum censura ampliss. senatus Posoniens. Sumtu philohistorum patriae, Posonii, typis Ioannis Paulli Royer, a. MDCCXXXV. (Tomus I.) — Editio princeps Hungariae: pp. 1—38., Ad lectorem fol.)(2³ v. — Bel Hungariam e codice x edidit, qui tunc de codice V descriptus est, cum Olahus primam partem correctionum effecit Bel notitiam codicis V quoque sibi comparavit[13]) et eum per amicos conferendum curavit, sed tantum nonnullas varianteſ lectiones infra in commentario assumpsit. Bel satis accurate Hungariam edidit; scripturam autem codicis, ut certo creditur, immutavit et nomina propria vitiose ad scripturam sui temporis transcripsit. — Editionem Hungariae Matthias Bel multis commentariis infra paginas positis instruxit.

t — 1763.[14]), Vindobona[14]). Nicolai Olahi metropolitae Strigoniensis Hungaria et Atila sive de originibus gentis, regni Hungariae situ, habitu, opportunitatibus et rebus bello paceque ab Atila gestis libri duo nunc primum ex codice Caesareo Olahi manu emendato coniunctim editi. Vindobonae, typis Ioannis Thomae Trattner Caes. reg. aulae typogr. et bibliop. MDCCLXIII. (sine nomine editoris). — Fol. innum. 2.: Ad lectorem; pp. 1—95.: Hungaria; pp. 96—198.; pp. 199—227.: libellus Nicolai de Rosemberg; pp. 228—44.: binae litterae Ferdinandi I. imp. et regis; pp. 245—58.; Index rerum et locorum memorabilium (ad Olahum). — Hanc editionem, ut creditur, Adamus Franciscus Kollar curavit. — Haec editio editionem b secundum codicem V correxit, qui iam mutilus erat. Accepit notas inferiores ex editione b. — Ex hac editione, quantum scimus, duo libri graduales exstiterunt: 1. Iosephus Scheckenberger post fol. innum. 2. dedicationem ad Iosephum e comitibus de Batthyán archiepiscopum Strigoniensem et post finem Assertiones adiunxit; 2. Pro titulo et folio innum. 2. folia 13 addidit, quarum titulus: Nicolai Olahi de Hungaria et Atila libri duo auditoribus oblati, dum positiones logico-metaphysicas amplissimo honori reveren-

[13]) V editionem Bonfinii in hac Bibliotheca.

[14]) V fol.)(1ᵛ v et commentaria editionis infra paginas posita, ubi de hoc codice aliquotiens mentio fit. De hoc autem codice ut manco mentionem Bel non facit.

[15]) Ut libri graduales bis, quantum scimus, eodem anno ibidem et a 1774. Varasdini apparuerunt, de quibus v. paulo inferius. (De libris gradualibus v. generatim B. *Hóman*, A „libelli graduales" könyvtári feldolgozása [Libelli graduales quomodo a bibliothecariis tractentur]. In ephemeride Magyar Könyvszemle, 1922, pp. 64—71.)

dissimi domini Nicolai Turchich, almae cathedralis ecclesiae Zagrabiensis canonici, archidiaconi Camarcensis, abbatis infulati Mellei Fontis, in archidiaecesi Strigoniensi protonotarii apostolici patroni gratiosissimi dicatas defenderent R. R. Titus Brezovachky et Matthaeus Klessich, ordinis monacharum S. Pauli I. eremitae provinciae Croaticae prosessi philosophiae auditores, praeside R. P. Theophilo Genar eiusdem ordinis et provinciae philosophiae doctore ac professore archiali. Lepoglavaedie, mense Sept. An. Dni. 1774. Varasdini, 1774, typis Ioannis Thomae nob. de Trattner, sac. Caes. reg. apost. mai. typographi et bibliopolae.

1906., Budapest. Analecta recentiora ad historiam renascentium in Hungaria litterarum spectantia. Edidit Stephanus Hegedüs. In. pp. 401—02. edidit carmen Ad lectorem secundum E.

1934., Budapest. Magyar reneszánsz írók. (Scriptores Hungari renascentis aevi.) In serie Magyar Irodalmi ritkaságok (Opera rara litteraria Hungarica; redigit Ladislaus Vajthó), no. 29. (Composuit ed redegit Tiberius Kardos.) Secundum editionem t ex Hungaria hae partes una cum interpretatione Hungarica editae sunt: 5., 4—8., 6., 4—14.

1934., Lipsia. Nicolaus Olahus, Carmina. Ediderunt I. Fógel et L. Juhász. In. p. 22. (carmen 35.) edita est carmen Ad lectorem e codicibus VE[15]) et ex editione b.

1935., Budapest. Szemelvények a magyar történelem latinnyelvű kútfőiből (Partes e fontibus historiae Hungaricae Latinis selectae). Összeállították és kiadták Eperjessy Kálmán és Juhász László. (Composuerunt et ediderunt Colomannus Eperjessy et Ladislaus Juhász.) Secundum editiones bt ex Hungaria hae partes editae sunt: 4., 2—16., 5., 1—17.

De nostra editione.

In edenda Hungaria nos textum codicis plane accepimus, sicut ab ipso Olaho correctus, comprobatus et relictus est. Litteram e falcatam (e) semper ae transcripsimus. Sicut in manuscripto est, consulto scripsimus: septentrio (librarius) et septemtrio (Olahus), waywoda (libr.) et wayvoda (O.) etc. Ceterum in scriptura nominum et communium et propriorum nec librarius nec Olahus consequentes esse potuerunt. Partem textus, quae codici propter folium deperditum deest, ex editione principi (b) accepimus.

In edendo Athila textum, quia manuscriptum desideratur, editionis principalis (s) secuti sumus et in omnibus plane accepimus et scripturam ad scripturam Hungariae consulto non correximus: coelum (Athila) et caelum (Hungaria), strenuus (A.) et strennuus (H.) etc., e quo elucet Sambucum textum Olahi (vel rectius librarii), quod ad scripturam attinet, immutavisse.

Sententias, ut textus facilius laudaretur, numeravimus.

ARGUMENTA.

Hungaria (secundum editionem b).

1. De Scythia vetere et originibus Scytharum. 2. De bellis et propaginibus Scytharum. 3. De Hunnis et horum adventu in Europam. 4. De nomine, situ et maioribus Hungariae fluviis. 5. De Hungaria occidentali, regia Buda et huius bibliotheca. 6. De urbibus, castris et oppidis in Budae vicinia. 7. De reliquis ulterioris Hungariae urbibus et opportunitatibus. 8. Continuatio descriptionis Hungariae ulterioris. 9. De secunda Hungariae parte citra et ultra Savum sita. 10. De tertia Hungariae parte, quae Danubium et Tibiscum interiacet. 11. De residua eiusdem Hungariae parte. 12. De Hungaria Trans-Tibiscana. 13. De Moldavia. 14. De Transsylvania. 15. Continuatio descriptionis Transylvaniae. 16. De reliqua ultra et infra Tibiscum Hungaria. 17. De provincia Themesiensi et huius vicinia. 18. De Hungariae opportunitatibus variis. 19. De residuis Hungariae commoditatibus.

[15]) Editores supponere ausi non sunt hos codices ab ipso Olaho esse correctos (v. 11.).

Athila (secundum editionem t).

1. Hunni duce Athila Tibiscum transeunt; cum Materno et Detrico sive Theodorico primum prospere, deinde infeliciter pugnant. 2. Hunni caesos ultima in pugna socios Scythico more terrae mandant; Theodoricum et Maternum recedentes insequuntur commissoque tertium praelio internecione delent. 3. Athila ab Hunnis rex eligitur; eius corporis animique habitus et regni fines proferendi studium. 4. Athila complures provincias armis subigit; regno deinde suo legibus exculto atque idcirco pellectis plurimis in societatem suam populis bellum et arma in Germaniam, Burgundiam et Gallias transfert. 5. Athila partem exercitus tertiam ad fines Hispaniae populandos incaute mittit; Theodorici Hispaniarum et Galliae Aquitanicae regis societatem armorum frustra sollicitat. Aetii patricii, imperatoris valentiniani ducis patria, virtus et fortuna. 6. Athila contra Theodoricum et Aetium cum exercitu profectus vaticinio eremitae cuiusdam Christiani et aruspicum etiam suorum portentis ab ineundo infelici praelio frustra deterretur parique successu opperientam in campis Catalaunicis Aetium eludere tentat. 7. Allocutio Athilae ad milites ante praelium in campis Catalaunicis commissum; acierum descriptio, pugnae item atrocissimae et cladis plane memorabilis utrinque acceptae. 8. Trasimundus regis Theodorico filius necem patris vindicaturus castra Hunnorum invadere meditatur, a quo proposito Aetii oratione simulata benivolentia composita aversus domum revertitur, a cuius abitu et Aetius et hi populi, qui Romanis auxilio venerant, alius alio dilabuntur. 9. Aetio et Trasimundo recedentibus incredibilis Athilae arrogantia; Marti pro more sacrificio facto Trecas versus cum exercitu proficiscitur et divi Lupi Trecarum antistitis prudentia pietateque flexus eidem urbi parcit; persimilis Athilae clementia in mulierculam quandam cum numerosa prole eius iras fugientem; Rhemos urbem obsidet; Rhemensium ad Nicasium eius urbis antistitem supplex oratio. 10. Divi Nicasii ad Rhemenses responsum; Eutropiae eius sororis in confessione Christi fidei constantia et in defendenda adversus barbaros virginitate fortitudo; prodigia caelestia utriusque martyrium subsequuta. 11. Athila Gyula duce Coloniam urbem obsidet; divae Ursulae Britannorum regis filiae cum XI virginum milibus Romae pietatis ergo videndae desiderium incredibile et martyrium; Athila celebratis in Thuringis diversarum gentium comitiis ac Britannis aliisque populis imperio suo adiunctis in Hungariam revertitur. 12. Sicambriam reversus Athila Budam germanum suum se absente res novas molientem insidiis adortum trucidat. Budensis arcis initia pariter fabulosa. Hunni populis in Hungaria suis graves solum vertere multos cogunt. Cursus publici veredariorum Athilae institutum. 13. Sicambriae, Athilae regiae origo; Catalaunicam cladem ulturus Athila Italiam invadere mortuo Aetio meditatur; eius ad milites sociosque eam ob rem oratio: in Italiam cum exercitu abit; Athilana, ut hic fertur, urbis Venetae initia. 14. Caeso Romanorum exercitu Aquileiae urbem triennio Athila obsidet; ob penuriam commeatuum et difficultatem expugnandae urbis maximam despondentem animos militem exemplo suo ad constantiam animat; ex abitu ciconiae avis pullos suos implumes turris culmine exportantis augurio capto urbem impetu invadit capitque. Dignae cuiuspiam feminae pudicitia plane memorabilis. 15. Aequata solo Aquileia Concordiam, Vincentiam, Mediolanum et caeteras Italiae urbes partim vi, partim deditione capit; Romanae urbi Leonis summi pontificis, Ravennae vero Ioannis praesulis Arriani precibus permotus parcit. Apuliam, Calabriam etc. Zowaro duce depopulatur. 16. Arrianos Ravennenses cum episcopo Athila delet; in Hungariam cum exercitu redeunti Honoria Valentiniani imperatoris soror connubium offert; Africam ac reliquas orbis plagas armis invadere meditatur; Mycoltham Bactrianorum regis filiam uxorem ducit et primis in amoribus vivere desinit; prodigia, quae hoc eius fatum praedicere sunt visa. 17. Athilae vita functo Chaba et Aladaricus filii atrocissimo praelio de imperio decernunt; victus ad extremum Chaba cum LV milibus Hunnorum ad imperatorem Honorium avunculum suum abit, apud quem tredecim annos commoratus in avitas Scythiae oras commigrat. 18. Reliquiae Hunnorum Siculi Transylvaniae; eorum mores, leges, consuetudines; omnes ingenui haberi volunt; patriae libertatisque incredibile studium.

NICOLAUS OLAHUS

HUNGARIA

AD LECTOREM.

Si nihil in nostro est lepidi grative libello,
Anxia me melius scribere cura vetat.
Mens etenim duro patriae confecta periclo
Torpet et est longo nunc hebetata malo.
5 Nec mea doctiloqui coluerunt arva Catones;
Hinc sterilem messem terra relicta dabit.
Haec mea quum cernes gracili contexta Minerva,
Splendidiora neges aulica scripta dare.
Fontibus haud semper placidis Parnasia Musa
10 Aut Heliconìadis regia prata rigat.
Non tersus loquitur comptas Ptolomaeus ad aures
Describens radio, quicquid in orbe fuit,
Non etiam celebris lepidi facundia Crispi,
Non tibi vel Trogus maximus ore tonat,
15 Nec gratum resonat Patavina natus in urbe
Livius ingenio splendidus, arte potens,
Sed qui Castalium parco bibit ore liquorem
Et quem non gremio docta Thalia fovet
Et cui non studii requies, sed multa laborum
20 Sollicitique fuit temporis anxietas.
Nomina sed prodat calamus quod barbara noster,
Scilicet haec Scythica voce referre iuvat.
Si dedero nostris Romana vocabula rebus,
Non bene convenient nomina cuique loco.
25 Sic sua dum multi condunt monimenta Latini,
Non nisi barbarice barbara verba sonant.
Materiam tribui tantum; qui docta requiris,
Scribere me multo cultius ipse potes.
Si quid inest mendae topicis, ignosce, precamur,
30 Nam procul a Gethico littore cymba mea est.
Quum dulces repetam portus patriosque penates,
Singula tunc referam candidiore fide.
Interea magni precibus devinctus amici
Haec tibi nunc subito qualiacunque dedi.
35 Nam iustis decuit precibus parere potentum,
Quae magni nobis ponderis instar erant.

Vale.

HUNGARIA.

CAPUT PRIMUM.

Scythiam veteres duplicem prodidere, unam in Europa, alteram 1
in Asia sitam Tanai flumine utramque dirimente. Quae ultra Tanaim 2
est, Asiatica dicitur atque a Riphaeis et Hyperboreis a septentrione
montibus incipiens orientem versus citra et ultra Imaum montem
contenta atque innumeras diversorum rituum, morum ac legum com-
plexa nationes barbaras, per littus tandem Hyrcani maris in occi-
dentem recurrens ad paludem Maeotidis et Pontum Euxinum circa
Caucasum montem terminatur. Altera vero citra Tanaim est, quam
Europaeam dicunt. Haec a locis septentrionis fere incognitis initium 3
sumens per iuga Riphaea et Hyperborea meridiem versus ad Thra-
ciam finitur et a monte ac flumine Alano; olim Alania dicta eiusque
populi Alani. Nostra aetas hanc Sarmatiam, Lithvaniam, Russiam,
Moscoviam appellat. Sive ergo ex Asiatica, quod multi pro vero 4
dixere, sive ex Europaea Scythia Hungari originem ducant, haud
multum interesse crediderim. Satis certe constat eos ex Scythia or-
tos. De Scytharum vetustate et quo parente sint geniti, varia est 5
auctorum sententia. Trogus Pompeius Aegyptios et Scythas de ge-
neris antiquitate diu contendisse atque Scythas veluti in regione ad
homines et alia quoque animalia in initio rerum producenda apti-
ore commodioreve, quam Aegyptus est, prius natos victoriam contra
sententiam Herodoti consequutos fuisse tradit. Alii fabulam Scytha- 6
rum origini adscribunt Herculemque Geryonis pecora pascentem et
ob vehementis pluviae atque frigoris incommoda fatigatum, leonina
pelle substrata alto sopitum esse somno referunt illis interim aber-
rantibus; quae experrectus e virginis cuiusdam demonstratione, Tel- 7
luris filiae, ad femur usque mulieris reliqua parte in viperam desi-
nente recepisse virginemque praemium a se indicati armenti Her-
culis concubitum habuisse, ex quo tres filios Agathyrsum, Gelonum
et Scytham esse natos; Scytham ex suo postea nomine et regno
Scytharum nomen indidisse et regibus ac populis originem fuisse.

Iornandes episcopus refert se ex antiquitate comperisse Fili- 8
mirum regem Gothorum Gandarici Magni filium, quum in Scythiam
ingressus fuisset, quasdam magas faeminas in populo suo repe-
risse patria lingua alirumnas dictas hasque ab exercitu depulsas
et in solitudinem longe fugere coactas ab immundis quibusdam spi-
ritibus compressas esse, ex quo coitu Scythas fuisse ortos. Res 9
certe indigna episcopi relatu, qui, quum scire debuerit spiritum nec
carnem nec ossa habere nec alium quempiam, quam hominem ex
naturali commixtione generare hominem posse, ipse tamen aut odio
gentis Scythicae, quia fuerit a Gothis per Hunnos expulsis oriundus,
aut simplicitate quadam alia haec tam ridicula, quae etiam alii post
eum asseverarent, in monumenta publica retulerit. Nonnulli tradunt 10
Noe, cuius aetate diluvium totum operuerat orbem, tres genuisse

filios Sem, Cham et Iaphet; hunc Iaphet post diluvium ex Enech
uxore genuisse Hunor et Magog filios, quos tamen chronica Hun-
garica filios Nemroth filii Chus, qui ex Cham Noe filio genitus erat,
fuisse tradunt. Hos igitur Hunor et Magog, quum in tabernaculo 11
procul a patre sive Nemroth sive Iaphet vitam agerent, cervam quam-
piam studio venationis traditum est persequutos; quam dum lon-
gius insequerentur, ad paludes usque Maeotidis amissa ob sylvarum
densitatem cerva progressos fuisse. Et, cum ea loca pascuis, lignis, 12
feris, avibus et piscibus, rebus tam hominum, quam pecorum usui
necessariis oportuna vidissent, facultate eo migrandi a patre accepta
in eadem Maeotidos regione consedisse tradunt. Quos quinque ibi 13
annis quiete confectis sexto demum anno cupiditate venandarum
ferarum ductos a loco habitationis ad loca deserta Maeotidi con-
termina longius egressos nostra dicunt chronica atque ibi quasdam
faeminas absque viris in tentoriis tunc festum diem tympano et
choreis celebrantes reperisse easque comprehensas ad paludes Mae-
otidos, quas incolebant, abduxisse; inter quas forma, decore et
corporis habitu duas fuisse praestantes; harum alteram Hunor,
alteram Magog duxisse uxorem; ex quo connubio Hunnos tan- 14
dem traxisse originem et Hungaros ab Hunor, a Magog autem
Magyarokath, quod Hungarica lingua Hungaros sonat, appellatos.
Hinc multiplicatam progressu temporis gentem Hunnicam subito 15
furore dominandi percitam sub rege Valamiro ingenti exercitu Gothos,
quibus Ermanaricus vel, ut alii referunt, Emenricus Amalus Vitulfi
sive Achiulfi filius ea tempestate praeerat, ob tumultum per Sarum
et Amnium propter necem Sunielis sororis contra Emenricum regem
concitatum invasisse devicisseque atque ad loca Sarmatiae interiora
propulisse autores reliquere. Qui postea Emenrico tum ob senec- 16
tutem, quippe qui centum et viginti annos iam natus esset, tum
propter vulnus in ipso tumultu acceptum mortuo sub Vinitario duce
contra Hunnos recurrere ac primo praelio superiores facti, po-
stremo, dum Vinitarius sagitta prostratus interiisset, victi ab Hunnis
fugatique sunt sicque bifariam divisi pars citra Danubium perman-
sere in potestatem Hunnorum recepti, pars vero sub Alatheo, Fri-
digerno et Safracho suis regulis superato Danubii flumine Valentis
imperatoris senioris Valentiniani fratris permissu in Mysia Inferiore
consedere. Polliciti enim Valenti fuerant se Christianos futuros et 17
Danubii ripam ab Hunnorum et aliorum barbarorum incursionibus
tutam reddituros. Unde rursus in Italiam progressi eamque depo-
pulati primum in Gallia Aquitanica, deinde viribus paulatim aucti
in Hispania sedem fixere. Hii Vissogothi, illi vero Ostrogothi appel- 18
lati sunt. Qui quidem Ostrogothi una cum populis ea tempestate
ipsis parentibus, Hunnis postea subiecti fuerunt et tributa penderunt.
Operae precium hic videtur paucis repetere, qui reges Scythis bel-
lum intulerint.

CAPUT SECUNDUM.

Scythas imperium Asiae ter quaesivisse eosque ab imperio
alieno aut intactos aut invictos fuisse, Darium regem Persarum ex 1
Scythia praeter decorem regium fugatum, Cyrum cum universo
suo exercitu deletum, Zopyriona item Alexandri Magni ducem cum
omnibus copiis trucidatum autor est Trogus Pompeius. Vexores
rex Aegyptius primus omnium bellum Scythis intulit; sed is dere- 2
licto omni suo apparatu bellico trepidus in Aegyptum pedem re-
tulit, quem insequuti Scythae universo imperio privassent, ni Aegypti
paludes prohibuissent eos longius ducere exercitum. Hinc magna
gloria reversi universam Asiam armis sibi tributum pendere coege-
runt. In qua annos quindecim commorati ab uxoribus virorum ab-
sentiam aegre ferentibus revocantur. Quae vocationi minas addunt,
ni mariti redeant, se nolle eos longius praestolari, sed in animum 3
induxisse a finitimis populis spe procreandae sobolis connubium
petere et nequaquam pati, ut per absentiam maritorum genus Scy-
thicum per universum orbem formidolosum deficiat. Quibus postea
reversis Asia per mille et quingentos annos usque ad Nini regis
tempora vectigalis fuit.

Superfluum esse arbitror, quum alii scriptores latissime hy-
storiam hanc sint persequuti, hoc loco me recensere, quae bella Plino 4
et Scolopitho regiis apud Scythas adolescentulis conspiratione eorum
populorum, qui Cappadociae fluvioque Thermodoontos finitimi erant,
trucidatis gens Amazonum, mulieres Scythicae duce Marthesia et
Lampedone in Europa et Asia feliciter gessere. Taceo et illud, quod
Darius rex Persarum ob negatas filiae Lanthini regis Scytharum 5
nuptias bellum Scythiae intulerit, ad quam exercitu septingentorum
millium hominum ingressus et ex his nonaginta millibus amissis
magno cum dedecore retrocesserit. Quae omnia, quum ab aliis,
maxime autem Trogo Pompeio late sint tractata, hoc silentio praeter- 6
ire nolui primum Gothos, quos Scythae, ut dictum est, regno pri-
varunt, tum Hunnos, postremo Vandalos, quos omnes ex Scythia
originem ducere plerique tradunt autores, universo orbi formidini
et terrori fuisse.

Sunt, qui gentem etiam Turcicam, cuius imperium non solum
in Asia, verum etiam iam in Europa Christianorum nostrorum prin- 7
cipum simultate, odio, discordia et bellis intestinis longe lateque
nunc patet, a Scythis originem habere testentur. Quidam Parthos
quoque memorant Scytharum exules fuisse, quorum rex Thamer- 8
lanus transmisso Euphrate et equitum quadringentorum, peditum
vero sexcentorum millium exercitu universa Asia minore in pote-
statem redacta Pazaitem regem Turcarum eius temporis potentissi-
mum pari copiarum numero regnum suum defendentem devicit at-
que in caveam, veluti feram quampiam, inclusum per universam
Asiam circumvexit; Soldanum Aegypti regem armis devictum ultra
Pelusium fugere coegit.

CAPUT TERTIUM.

Auctis multiplicatisque in Scythia Hunnis, quum eorum mul- 1
titudinem ea, quae tunc incolebant, loca vix caperent, decrevere eos,
qui ad occidentem degunt, populos invadere hisque superatis se-
dem, quae humano usui commodior, uberior et fertilior esset, sibi
quaerere. Ex omni tribu, quas centum et octoginta habebant, sex 2
duces delegere, viros et animi corporisque virtute et generis vetu-
state inter suos insignes; Belam, Keme et Cadica filios Chele ex
tribu Zemen, ex tribu autem Kadar Athilam, Kewe et Budam filios
Bendegicz. Hi ex singulis tribubus numero decem millium arma-
torum conscripto decies centena et octuaginta millia hominum fe-
cere exercitum. Ne autem tanta multitudo, quae uxores, liberos, 3
omnem familiam, gregem et armenta quaerendi sibi regni gratia
secum ageret, absque legibus viveret et ne inter eos iuris et aequi
praefectus deesset, quendam virum Kadarum nomine caeteris pru-
dentia industriaque praestantem crearunt, qui iuri dicendo et ad-
ministrandae iustitiae praeesset, motas lites aut componeret aut de-
cideret, flagitiosos, sicarios, praedones, maxime vero fures, qui Hun-
nis aeque, ut hostes sunt exosi, multaret. Praeterea, ut duces ad 4
ea, quae belli sunt, munia solertiores, diligentiores et cautiores fa-
cerent atque ipsum etiam Kadarum ad ferenda in plebe iura, aequi-
tatem colendam, iustitiam absque odio et favore administrandam
incorruptiorem et attentiorem redderent, publico decreto sanxerunt,
ut tam ius a Kadaro male administratum aut corrigere aut abro-
gare, quam duces legitima ex causa magistratu privare possent.

Edictum deinde est, ut, si quod ipsi bellum aliis indicturi essent 5
aut quispiam regum populorumve bellum parare, exercitum contra
eos ducere conaretur, gladius sanguine tinctus per praeconem in castris
Hunnicis circumferretur haec verba proclamantem: Vox dei et publicum
Hunnorum mandatum est, ut quisque armatus vel ut cuiusque est vis,
die et loco hoc, quem nunc statuo, compareat statutum publicum
intellecturus. Huius aedicti contemptoribus duplex propositum suppli- 6
cium, ut, si quispiam ad circumlationem gladii sanguinolenti et
vocem praeconis die et loco designato aliqua iusta causa non allegata
minus comparuisset, is, quem atrocius punire vellent, cultro medius
discindi, is vero, cui paenam morte leviorem esse putarent, in perpetuam
servitutem redigi deberet. Hic mulctandi mos multis postea seculis 7
inter nostros fuit observatus. Quo factum est, ut, quum antea omnes
aequo nobilitatis iure censerentur, hii, qui aedictum transgressi fuerant,
in servitutem redigerentur, ut nobilitas a plebe secerneretur. Nostra 8
quoque tempestate haec circumlatio ensis vel pali cruore aspersi
observari solet, dum hostis quispiam externus Hungariam invadit
et Hungari subitarium conscribere militem volunt. At paena eos, qui 9
aedicto non sunt audientes, aut discindendi aut in servitutem redigendi
abolevit. Verum et nunc in manibus situm est regis, qua sive sua
authoritate sive ex decreto nobilium mulcta rebelles afficiat.

His ita in Scythia ordinatis relicta domi in custodiam Scythiae 10

reliqua et ad tam longam expeditionem inutili plebe, quae avitum imperium ab hostili impetu tutaretur, duces ipsi anno a natali domini trecentesimo septuagesimo tercio Valentiniano in occidente, Valente vero in oriente imperatoribus ac Damaso primo Romanae ecclesiae pontificatum gerente cum exercitu memorato praeteritis Maeotidos paludibus et devictis populis Alipzuris, Alcidzuris, Itamaris, Tuncassis et Boiscis ripae Maeotidos accolis Gothos, quorum mentionem supra fecimus, gentem fortem bellicosamque regno privarunt tributumque sibi pendere coegerunt. Qua elati victoria arbitrati nullum sibi usquam 11
deinceps obstaculum occursurum, quod ab occupando omni occidente eos remoraretur, subactis prius finitimis barbaris populis per Bessos, Cumanos Albos, Susdalos, Ruthenos ferro sibi viam aperientes in Cumaniam Nigram, quae nunc Moldavia dicitur, pervenere, unde per eam Hungariae partem, quae olim Daciae pars occidentalis vocabatur, progressi ad aquilonarem ripam Tibisci amnis castra sunt metati.

Tradit vetus nostrorum chronicon Daciae huius Hungaricae 12
regionem olim Danos coluisse hosque metu postea Hunnorum adveni-entium perculsos ad ea maritima septentrionis loca, ubi nunc Dania est et Norvegia, cum suis migrasse, quod, ut non satis pro comperto sit, ita non omnino inficias iverim. Nam ipsa Daciae et Daniae 13
συμφωνία non parvam mihi fidem praestat Daniae, quae nunc septentrionalis est, a Dacia Hungariae, quam forte olim Dani coluerint, nomen esse inditum. Danorum tamen chronicon refert eos a Gothis originem ducere et a Dan primo eorum rege Danos vocatos. Nunc res admonet, ut brevissime, quam fieri poterit, descriptioni Hungaricae generali manum admoveamus.

CAPUT QUARTUM.

Hungaria sive ab Hunor et Magog, ut supra dictum est, sive 1
ab Hunnis et Garis, ut plerisque videtur, populis, qui una olim militarunt, sive ab Avaris, quos Caelius Hunnos fuisse tradit, nomen sortita sit, aliorum esto iudicium. Haec tempestate nostra a quadragesimo 2
primo ad quadragesimum nonum gradum in longitudinem porrecta, in latitudinem vero a quadragesimo tertio fere usque ad quinquagesi-mum primum elevata multas complectitur regiones, quae in quatuor potissimum dividi potest partes, de quibus paulo post dicemus. Hungaria igitur ipsa inter alios quam plurimos amnes flumina habet quatuor insignia variis et multiplicibus piscibus abundantia Danu-bium, Tibiscum, Dravum, Savum.

Danubius circa sylvam Herciniam sive Nigram non longe a 3
pago Dueneschingen in Rhetia Sueviae finitima in planitie pontem habet duobus, ut dicitur, miliaribus a Rheni ripa distantem, qui per latos Germaniae fines, Vindeliciam, Bavariam decurrens Pan-noniam Superiorem et Inferiorem, hoc est, Austriam primum dividit, deinde Hungariam. Hinc longo et sinuoso lapsu Daciam a Mysia 4
Superiore, quae nunc Servia et Bosyna appellatur, disterminans infra Mysiae Inferioris, quae nunc Bulgaria dicitur, terminos sexaginta, ut Plinius refert, amnes et horum medium ferme numerum navigabilem

secum deferens in Pontum Euxinum septem vastis ostiis exoneratur. Per haec ostia antacei pisces, quos Plinius mariones, nunc vero vulgus uzones appellat, creduntur in adversi Danubii alveum ex Ponto ascendere fere Posonium usque urbem, de quorum captura infra dicemus. Danubius hic intra Hungariam a borea hos acci- 5
pit fluvios· citra Posonium Marchiam vel Moram, qui nunc Moravia dicitur; tum prope Wizkele Tirnaviam rivulum; circa Chomaricium nunc Comaron arcem ad oppidum Gutha Vagum in montibus septentrionalibus ortum ; paulo inferius sub pago Nyarhyda Nitriam, deinde Granam sive Garanum circa arcem Muran ortum et sub Novo et Veteri Zolio Sanctoque Benedicto longo tractu decurrentem, tum Ipol fluvios circa Strigonium recipit, postremo non procul a Titulio ex ripa opposita oppido Zalonkemen Tibiscum multa secum devehentem flumina. A meridie vero his crescit amnibus: circa Owar 6
sive Altemburgum Mariae reginae arcem Leytha, citra Bregaecium, quod nunc Iaurinum nominatur, Rabnicza, qui nunc Rapza, et Raba, ante Arabo, citra Batham oppidum Saros amne, tum ad Drazad, quod ante Teutoburgum fuisse creditur, Daro nunc Dravo, postremo circa Taururum Savo augetur.

Qui quidem Danubius inter alias insulas, quas Taururum usque 7
facit quam plurimas, duas habet et magnitudine et fertilitate maxime praestantes; altera supra Posonium urbem initium sumens porrigitur ad arcem usque Comaron; haec tredecim longa est, lata vero nunc duorum, nunc trium, nunc quatuor aut quinque miliarium nostratium; frumenti, ordei, siliginis leguminumque aliorum feracissima; alterius insulae paulo infra Budam incipientis nomen est Chepel. Haec cum 8
aula, quae ibi extructa est, ac oppidis Chepel, Thekel, S. Martino, Kewy, quod Rasciani incolunt, ac nonnullis aliis pagis reginae Hungariae est iure donationis propter nuptias; avibus phasianis, per- 9
dicibus, turdis, gallinis sylvestribus ac aliis diversi generis aviculis, cervis, damis, apris, leporibus abundantissima, ad haec sylvis, nemoribus, vineis, pascuis, frumento et aliis ad usum mortalium necessariis leguminibus adeo insignis, ut nihil, quod sive ad necessitatem victus sive ad voluptatem pertineat, huic deesse videatur. Quae sola 10
et Ludovico secundo regi et Mariae reginae principibus meis tam in venationibus et aucupiis, quam aliis rebus animum recreantibus, dum nonnunquam ab aliis absoluti gravioribus negotiis animi gratia eo divertere, magnum amaenumque praebuit oblectamentum. Haec longa est in meridiem novem miliarium, lata vero duorum aut trium.

Tibiscus aliis tribus longe piscosior ortum in Maromarusio 11
habet humili ex fonte; sed prope eadem loca quinque rivulis ortis augetur ac multis postea tum superioris, ut vocant, Hungariae, tum etiam Daciae navigabilibus, ut infra dicetur, auctus fluminibus sub Salonkemen oppidum in Danubium influit.

Dravus ex Caecio monte, ut traditur, Carinthiae oriens perque 12
Styriam fluens Muram, et alios plaerosque accipit fluvios atque Hungariam a Sclavonia Hungarica ad meridiem orientem versus dividens oppidum Ezzek alluit, supra quod non longe ab oppido Drazad Da-

nubio miscetur.

Savus, ut quibusdam placet, in radice eiusdem Caecii mon- 13
tis vel ut Aeneas Sylvius tradit, in Carniola irrigua non adeo procul ab Arnoltstain Carniae tribus a Villaco miliaribus lybonothum versus initium habet. Is multis admissis Sclavoniae Hungaricae, 14
Croaciae Mysiaeque Superioris sive Serviae et Bosynae fluminibus per fines Sirimicos labitur et maenia arcis Sabacz alluens Sempliniumque sub Taururi maenibus, qua occidentem respiciunt, in Danubium sese exonerat. Haec quatuor flumina, quae cum dupli- 15
cata cruce alba e monte viridi enata insignia sunt Hungariae, quantam habeant piscium copiam, paulo inferius dicemus. De manu 16
Athilae sanguinolenta et per illius impressa vestigia habemus insignia. Verum iis iam recensitis ad institutam Hungariae divisionem animus properat.

CAPUT QUINTUM.

Pars igitur eius prima, quae cis Danubium olim occidentalis 1
pars erat Pannoniae Inferioris, a flante Favonio initium habet ab Austria provincia olim Pannonia Superiore, ab Euro Dravum attingit occidentalem, subsolanum vero versus porrigitur ad ostia eius- 2
dem Dravi, a borea Danubio ubique vicina est. In hac parte sunt comitatus Sopronium, Posonium, Iaurinum, Strigonium, Castrumferrei, Saladium, Simigium, Wesprimium, Tholna, Baronya. Duae paludes tum magnae, tum piscosissimae; altera Feurthe prope oppidum Mariae reginae Naysydel et Rusth, altera Balathon, quae Wesprimium a Simigio disiungit. Ea pars continet archiepiscopa- 3
tum Strigonium, cuius antistes primas legatusque natus et supremus regni Hungariae ex regum veterum instituto est semper cancellarius; episcopatus Quinque Ecclesias, Wesprimium, Iaurinum; praepositurarn Albae Regalis; abbatias Sancti Martini, Saxard, Somoghwar, Pechwaradinam, Zalawar, Ticonium, Batham, civitates munitas, Budam, a qua veluti metropoli initium sumam.

Haec regum Hungariae est regia, quae tota in saxo ad alti- 4
tudinem satis magnam enato sita et a septentrione in meridiem protensa in fronte meridionali arcem habet non magno intervallo ab urbe dissitam, egregie omni munitionis genere instructam, ad haec aedificiis insignibus, artificiosis fornicibus tabulatisque auro et coloribus depictis ad admirationem usque splendidam. Haec praeter situm atque architecturam tum regiam, tum corpore divi Ioannis Eleemosynarii insignis fuit, tum ob bibliothecas Matthiae Corvini regis memorabilis et admiranda. Qua itur ad stationem ex 5
latere interioris bibiothecae ad sacellum divi Ioannis perforatam, unde rex sacrum audire consuevit, duae obviae sunt aedes concameratae; altera voluminibus Graecis partim e medio Graeciae, partim ex aliis orientis regionibus per regem non minori cura, quam labore eo congestis referta erat; altera interior continebat codices totius linguae Latinae a primis rudimentis ad arcem usque omnium scientiarium per capsulas et loculamenta ordine quosque suo

distinctos. Tegebat horum quodlibet velum sericeum coloribus au- 6
roque variegatum cum indice disciplinae et professionis, in quas libri erant discreti. Maxima voluminum pars constabat membranis colligata serico, umbilicis fibulisque argenteis auro lucidis. Audivi a maioribus Matthiam regem, dum viveret, aluisse semper ad triginta servos amanuenses pingendi peritos, quorum ego plerosque illo mortuo noveram. Horum erant opera omnes fere et Graeci et Latini codices conscripti. Praefectus his Felix Ragusinus Dalmata 7
et ipse iam senex mihi cognitus, qui non modo Graece et Latine, sed Chaldaice et Arabice doctus; praeterea in ipsa quoque pictura exercitatus sedulo advertebat, ne quis error in describendis libris committeretur. Praeter has et aliae duae erant bibliothecae in lo- 8
cis diversis arcis, sed prioribus inferiores, quas omnes Turca post Ludovici regis ad campum Mohaacz interitum, qui anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto, vigesima nona Augusti contigit, Buda Septembris sequentis octava die postea capta partim dilaceravit, partim in alios usus argento detracto dissipavit.

Ad orientem Buda Danubium respicit radices urbis alluen- 9
tem, ultra quem oppidi Pesthi e regione siti latam diffusamque planiciem, quae in omnem partem ad tria et ultra nostratium miliaria patet. Eius planiciei initium, quod haeret maenibus fere oppidi, appellatur Rakos, qui campus designatus est ex more veteri comitiis nostratium et electioni regum Hungariae et palatinorum. Uterque enim more nostro hic eligitur, in quo etiam alii conven- 10
tus nostri publici aguntur. A meridie obiicitur altissima praeruptaque rupes divo Gerardo ex eo sacra, quod hinc biga alligatus per quosdam Hungaros in praeceps actus erat.

In huius radice a Danubii ripa ad viginti fere passus rece- 11
dente scaturiunt thermae aegris corporibus, praesertim pustulis et tabo infectis maxime salubres. Intra quas sunt et aliae, quae Regiae nominantur ob regis in his balneum, in quibus natare possis. Occidentem versus regii et alii amaeni sub maenibus horti in planitie visuntur. Supra interstitio viginti passuum vineae in montibus sunt consitae, amaena visu spectacula.

Ad septentrionem ferarium est regis, cui nomen est Nyek, 12
cingens vallo non tantum sylvosum montem, sed prata etiam latissima in ambitum trium miliarium Hungaricorum feris variis abundans. Lateri huius annectitur aula magnificis extructa aedificiis Wladislai regis impensis. Supra mons divi Pauli cernitur sylvosus monasterio fratrum Eremitarum et corpore Pauli primi eremitae olim clarus.

Ad ipsum vero aquilonem partim alii exurgunt montes vitibus 13
frugiferi, in quorum radice monasterium aliud est Eremitarum divae virgini sacrum, quam Albam Mariam appellant; partim Sicambriae urbis, de qua infra dicemus, reliquiae adhuc cernuntur. Introrsus 14
meridiem et Danubium versus est oppidum Vetus Buda, in quo fundata est ecclesia collegiata, praepositura et aliis sacerdotiis insigne. Supra hoc oppidum eodem tractu est xenodochium Sancti Spiritus,

in quo thermae salubres erumpunt. Paulo longius Budam versus est aliud oppidum Sanctae Trinitatis, quod Hungarice Felhewyz vocatur, collegiata ecclesia et thermis eleganti domo conclusis pariter inclytum. Sunt et aliae sub dio ibidem in tribus aut quatuor locis thermae 15 omnes mirum in modum salubres. Aliquae ex his a ripa Danubii vix decem absunt passibus sub dio patentes, in queis rustici vinearumque cultores lavari consuevere capite et humeris tenus extantes, quod intuentibus speciem quodammodo praebet picturae resurrectionis generalis in parietibus aedium sacrarum pictae.

Oppidum ipsum Budense celebre est Italis, Germanis, Polonis 16 et nostra hac aetate Turcis quoque mercatoribus eo confluentibus veluti ad totius Hungariae emporium. Quacunque ex parte oppidum et arcem extrinsecus longe prospexeris, magnam capies voluptatem tum ex situs amaenitate, tum ex domorum turriumque sumptuosa altitudine, ut et situs splendorem admireris et aedificia non ex materiis facta, sed insignem quandam videaris picturam conspicere, contra, si ex oppido loca amaenissima illi subiecta despexeris, in maximam ducaris admirationem; sic utrobique oculi pascuntur reficiunturque. Rupes ipsa, in qua consistit oppidum, excavata est propter cellas 17 vinarias, ut non minus sub qualibet domo operis intra ipsius rupis viscera, quam aedificii sub dio videas; qua ex causa terrae motus maxime illic formidantur.

CAPUT SEXTUM.

Alba Regalis civitas a Buda ad meridiem occidentem versus 1 tendens octo abest miliaribus paludibus ex Saros amne orientem praesertim versus circundata. Haec et natura et opere satis munita inclyta est divorum Stephani et Emerici corporibus, tum aliorum etiam regum sepultura. In huius ecclesia collegiata divae virgini sa- 2 cra, praepositura scilicet maiore, cuius possessor praeest ecclesiae, et custodia mea sive thesaurariatu aliisque deinceps opimis sacerdotiis insigni, reges et reginae per archiepiscopum Strigoniensem inungi ac diademate insigniri debent, alioqui non habentur legitimi. Nundinis boariis et vinariis, quae ex Simigio eo advehuntur, aliis- 3 que mercimoniis est haec urbs celebris. Citra hanc urbem ad radices Werthes sylvae, de qua paulo post dicemus, sunt arces Chokakew, Palotha, Oroslankew, infra quas oritur Saros fluviolus molis frumentariis circiter sexaginta percelebris.

Wissegrad, quod Germani Plintenburg vocant, oppidum abest 4 Buda occidentem versus quinque miliaribus conditum ad ripam Danubii in radicibus sylvae vastissimae pardorum aliarumque ferarum altricis. In fronte oppidi ad plagam orientalem aula extructa plus, 5 quam dici potest, et situ decora et impensis magnifica et palatiis aliisque aedificiis vere regiis praestantissima, utpote quae unica quatuor regibus cum suis ordinariis, ut vulgo vocant, officiariis eodem tempore commodum praebeat hospitium, dicitur enim continere trecentas quinquaginta et ultra aedes. Porta huius patet in Danubium a se bis centum circiter passus recedentem, quo inter-

stitio per id spatii, quod est inter oppidum et portam, consitae
sunt salices. Altera ex parte orientalis aulae hortus est vitibus et
arboribus frugiferis amaenus. Oculis ingredientium portam offertur 7
statim area spaciosissima, in omni parte viridis, floribus pratensi-
bus vernans. Ad centum et ultra a porta passus introrsus incipit
gradus ex quadris lapidibus septem aut octo latus ulnis, altus vero
quadraginta circiter passus. Hic area est quadra, pensilis fornici- 8
bus sive cellis vinariis pro regio sumptu et amplis et magnificis
insidens instructaque, lapidibus pariter quadris strata, in qua iuxta
aequam dimensionem plantatae sunt tiliae arbores et odoribus
verno tempore fragrantissimae et aspectu placidissimae. Huius in 9
meditullio exurgit fons miro artificio ex rubro fabricatus marmore
cum sculptis Musarum imaginibus, ex cuius cacumine effigies Cu-
pidinis utri marmoreo insidens aquam exprimit, quae non minus
sapida, quam frigida ex vicini montis fonte per canales eo ducta
cum iucundissimo strepitu in lancem ex siphunculis desilit marmo-
ream, hinc in labrum orbiculare. Hic fons Matthiae illius Corvini 10
regis iussu, cuius universa haec aedificia, quae narro, sunt opus,
dum plerumque triumphum ageret, vino, ut a maioribus accepi,
nunc albo, nunc rubro fluebat superius in radice montis arte ca-
nalibus immisso. Hoc in loco rex ipse verno aestivoque sole flo-
rentibus arboribus solebat apricari, auram captare prandereque,
nonnunquam etiam legatos audire et dare responsa.

Narratur res non minus risu digna, quam memorabilis olim eo 11
loci certo contigisse. Turcarum quidam legatus, dum, ut moris est,
ab aulicis regis ex oppido legationis suae exponendae gratia in
aulam deduceretur et in porta, unde rectus patet ad hanc pensi-
lem aream aspectus, parumper substitisset, circumspiciens tantam
loci illius amaenitatem splendoremque et aulicorum tam in infe-
riore, quam superiore, ubi rex erat, area infinitam multitudinem serico,
argento auroque contextis indumentis atque non ex minima sui
parte baltheis (ut moris est nostrorum hominum) ensibusque argen-
tatis ac torquibus aureis ornatam tanta subito admiratione stupo-
reque perculsus est, ut totius suae legationis oblivisceretur, et, dum
per gradus in conspectum regis ascendisset, propter eius aspectum,
qui ob magnos oculos cruore veluti perfusos terrorem inspicienti-
bus incutiebat, conceptus iam antea timor ita magis ac magis ho-
minem occupavit, ut post diuturnum silentium nihil aliud proferre
potuerit, quam: Caesar salutat, Caesar salutat. Quem quum rex interro-
garet, an quid ultra vellet, ille nihil respondit. Rex viso hominis tam 12
nihili stupore ad suos, qui adstabant, purpuratos conversus, Videte, in-
quit, quales beluae nostros et aliorum principum Christianorum fi-
nes negligentia nostra publica incursent; verum, quantum in me
erit, curabo fraena his beluis imponere, ne tam licenter excurrant.
Si alii etiam principes socordia et internis dissensionibus seposi- 13
tis hoc idem praestare curarint, agetur bene de rebus Christianis.
lubet deinde legatum reduci ad hospitium, Vade, inquiens, respira,
resipisce! Is, quum post multum temporis largiens, ut fit, aulicis 14

ampla munera ambiret revocationem, nunquam est revocatus, sed significatum ei a rege, ut domum rediret nunciaretque domino suo, alium mitteret, qui legatione fungi sciret. Ita ille pro regis dignitate magnifico nihilominus munere oneratus coactus est cum rubore reverti. Haec quamvis in rem praesentem minus pertinebant, nolui tamen silentio praeterire.

Introrsus ad latus areae in radice montis, quae paulo elevatior 15
est, extat sacellum amaenissimum operibus musaicis, ut aliae etiam pro maiori parte aedes, stratum, in quo instrumentum est musicum preciosum, quod vulgus organum vocat, fistulis nonnullis argenteis ornatum, praeterea reservaculum corporis Dominici et tria altaria cum structuris et tabulis ex alabastro purissimo inaurato fabrefactis. Hinc orientem versus palatia regis tabulatis inaurata 16
bifariam protenduntur miro artificio fabricata. Altera via ascenditur in palatium oblongum, cui mons ipse imminet; altera descenditur ad inferiores aedium partes. Hic quoque in medio areolae fons est ex alabastro exurgens, quem ambit ambulatio columnis marmoreis sustentata, quae a solis aestivi ardore tuta est. Tum aedes ipsae 17
recurrunt in septentrionem, postremo occidentem versus redeunt, quarum omnium fenestrae in decurrentem latissimo alveo Danubium proiiciuntur, quod maximae est prospicientibus amaenitati, praesertim quum e regione ultra Danubium ex colonis Germanis cernatur Maros oppidum, supra quod mons exurgat longus magis, quam altus vineis totus consitus.

Haec aula praeter situs amaenitatem tam preciosis aedificiis 18
ornata est, ut sine controversia plurimorum regnorum aedificia superare videatur et nusquam viderim, quicquid regnorum in hunc diem peragrarim, aedes paribus ornamentis structas. In ipsa sola Lutetia Parisiorum urbe eo loci, quem vulgus Aulam Parlamenti vocat, in qua ius dicitur negociumque tractatur regis, unicam vidi cameram in similitudinem harum et Budensium aedium tignis tabulatisque inauratis fabrefactam. Supra aulam in altissimo cacumine praerupti 19
montis lateribus undique sylvosi extructa suspicitur, veluti quispiam nidus, arx fortissima. Huic praeficiuntur more maiorum duo ex regni proceribus non solius regis arbitrio, sed totius regni electione. In ea custoditur corona, quam nos sacram vocamus, cum 20
privilegiis et aliis regni iuribus. Haec parietibus undique conclusa sunt. Duo hi proceres firmissimo adiguntur iuramento, ne perfractis parietibus diadema regium ex ea arce aliter educant, quam ad totius regni et regis unanimem deliberationem, quae non aliis temporibus fieri consuevit, quam in coronatione regis et reginae. Per 21
hos proceres substituuntur alii duo arcis praefecti, quorum alter per totum semestris temporis spacium diademati regio custodiendo incubat nec toto hoc tempore sub vitae periculo pedem efferre audet, donec collega in eius succedat locum. Ab ea arce per montis 22
praecipitium demissus est murus ad aliam usque arcem fluctibus Danubii obnoxiam, quae Aquatica vocatur. Haec maenibus suis et hortum mira amaenitate lateri aulae annexum et eandem aulam oppido coniungit confirmatque.

CAPUT SEPTIMUM.

Haec sylva, quae ex arcis nomine denominatur, in ripa ad- 1
versi Danubii ad zephirum retrahitur in spacio duorum miliarium
nostratium. In huius medio est praepositura Demes et dignitate et
redditibus insignis. Danubii ripam prospectans et in eiusdem circa 2
finem radice aula alia est, extructa, quam amaenissimus hortus et
ferarium archiepiscopi Strigoniensis ad unum miliare Italicum a
Strigonio distans ambit. Exurgit hinc mons, cuius in latere vineae 3
porriguntur, arci et civitati Strigonio imminens. In ripa Danubii
rupes satis alta in orbem enata est, ex ea parte, qua Danubium
prospicit, praerupta, undequaque tercentum circiter passus lata.
Hic condita est arx, sedes archiepiscopi et loco et munitione for- 4
tissima palatiis atque aedificiis praeter situm loci maxime decora.
Haec nativitate atque baptismo divi Stephani primi regis Hunga-
rorum est memorabilis. Occidentem versus Danubium late et leni 5
murmure defluentem prospicit. In orientem ruinas aedium magnifi-
carum capituli anno abhinc quarto exacto propter obsidionem ar-
cis ad solum usque dirutarum, tum montes vinearum, ad meridiem
vero civitatem prospicit. Fundata est in arce ecclesia cathedralis 6
divae virgini sacra in Hungaria metropolitana, in qua praeter alia
sacella et ornamenta duo sunt maxime praestantia; alterum sacel-
lum in latere ecclesiae meridionali a fundamento ad summum us-
que intrinsecus ex rubro marmore eoque politissimo per Thomam
cardinalem patriarcham Constantinopolitanum maximis impensis ex-
tructum, hoc superne in orbem coarctatur et cupro inaurato con-
cameratur, opus sane magnificum et preciosum; alterum ad pla- 7
gam aquilonarem supra sacrarium fabrefactum est, opus testudi-
neum multifariis picturis exornatum, in quo est bibliotheca codi-
cibus veteribus omnium facultatum refertissima. In arcis radice in 8
ipsa Danubii ripa est turris fortissima, quae ob custodiam aquae
Aquatica dicitur, in qua thermae tanto impetu erumpunt, ut mo-
lam circumagant. Auditu res admiranda eodem tractu fere conti-
guo iisdemque venis aquam gelidam Danubii decurrere et ther-
mas erumpere.

Ab arce semota est civitas quadringentorum fere passuum spa- 9
cio, quod similiter thermae in aliquot locis irrigant. Ea ad meri-
diem in ripa Danubii, qua in insula opposita monialium est cae-
nobium, protenditur maenibus Danubio connexa. In fine dictae syl- 10
vae, quae civitati huic imminet, initium habet alia sylva vastissima
et in tota Hungaria nominatissima Verthes versus meridiem usque
ad terminos alterius sylvae, quae Bakon vocatur, protensa. Ad la-
tus huius occidentale abbatia sancti Martini redditibus opulentis-
sima in monte, qui appellatur Sacer Mons Pannoniae, editissimo
amaenissimoque sita est ad omnes plagas, oppida et latos campos
prospiciente per divum Stephanum regem extructa.

Hinc meridiem versus Sabaria arx, divi Martini patria. Deinde 11
magis ad austrum praepositura Vaswar, arx Monyorokerek, quam

Theutones Eberaw vocant, oppidum Kermend, Artzberg; tum ad latus sylvae vastissimae, quae decurrenti Muravo adiacet, in rupe difficili extructa est arx Nemet-Wywar sive Novum Castrum. Non 12
longe ab hac abest meridiem versus inter sylvas arx Felsewlyndwa et oppidum Murasombath. Hinc intra Muravum et Dravum fluvios est Strido, divi Hieronymi patria; arx Chakthornya. A Felsewlyndwa non ita multum distat Sanctus Gothhardus. Item arx Alsolyndwa, Ne- 13
methi, castellum Buzaszygeth, supra quae Berzentze arx. Hinc ad orientem Baboltza arx, oppidum Kalmanchel, tres mei vici, Dobzae habitacula centum et ultra colonorum. Ad Werthes non longe a Wesprimio est Leweld caenobium fratrum Carthusiensium multis oppidis et redditibus opulentum.

Citra Balathon lacum ad radices sylvae est arx Wason, cui vi- 14
cinum est oppidum meum Dergycze (cum quinque suis vicis, quorum coloni in ipso lacu Balathon, ut mihi meus retulit vicarius, uno tractu pisces varii generis viginti curruum saepe prehenderunt; in his bona et sapida nascuntur vina) cuiusdam procuratoris, quem hispanum vulgus vocat, suspendio famosum, quia hic hispanus co-
lonos iniquis cruciabat exactionibus. Ab hoc non multum abest ab- 15
batia Ticonium in amaeno loco sita, arx Seglygeth, abbatia Zalawar, arx munitissima et proventibus ampla; alius item conventus religiosorum in Kapornak. Supra Vason ad boream est Wesprimium episcopatus; Berenhyda. Hinc non longe a ripa meridionali Saros Ladan, Urhida, Lepsin; arces Ozora, Simonthornya; oppida Bikad, Zerdahel. Ad orientalem ripam Balathon Zantho, Kereshel, Cze- 16
pel, Tard; mediterranea Somoghwar abbatia tum colonis, tum redditibus vinariis opulenta; Ozthopan, Korpad.

CAPUT OCTAVUM.

Ad occidentem (ut eo, quod prius omiseram, revertar) Sopronium 1
urbs a Vienna urbe decem circiter miliaribus ultra paludem Ferthew meridiem versus distans in ea parte, qua muro cingitur, in valle, qua vero maenibus ipsis septentrionalibus coniungitur, in monte condita est. Accolae eius Alemani sunt. Ager et frumenti et vini ferax; una 2
ex septem civitatibus Hungariae liberis. Ultra Sopronium ad meridiem est arx Lanser. Sopronio huic septentrionalis est ad octo circiter miliaria arx Ovar, quae a Germanis Altenburgum nuncupatur. Haec 3
in loco sita est palustri aggeribus vallisque fortissimimis et duplici fossa aquatica circumducta, in quarum exteriorem quadraginta et ultra passus latam a meridie influit Leytha flumen. A septentrione 4
pars Danubii, qui insulas ibi tres facit mediocres feris et maxime apris abudantes, praeterlabitur, ex quo ad interiorem arcis fossam Mariae reginae impensis, cuius ea est arx, non longo ante tempore aqua deducta fuit, ut arcis aer vivo flumine fieret temperatior salubriorve.

Iaurinum, olim Bregaecium, arx, sedes episcopi Iauriensis in 5
ripa Danubii (qui eo quoque loci insulam facit) meridionalis sita est, infra quam occidentem versus olim Rabniza nunc Rapza flumen

prope Abdam pagum in Danubium exoneratur. Sub ipsa vero mae- 6
nia arcis aliud flumen olim Narabo, nunc Raba dictum in eundem Danubium rapitur. Hinc Thatha arx regia inter Strigonium et Iaurinum ad latus meridionale sita occurrit medio miliari a ripa Danubii distans, insignis Mathiae regis aedificiis. Alluit huius muros 7
orientales latissimum vivarium piscibus multigenis memorabile in orientem ad unum miliarium protensum. Ad austrum imminet arci oppidum situm in monte, qui marmor rubrum continet. Supra Budam meridiem versus Thethem, Erd, Adom, Pacosium, Tholna, Saxard abbatia et Batha oppida ripae Danubii adiacent. Infra quam Batham, 8
quae abbatia est satis opulenta et sacramento miraculoso celebris, flumen Saros Danubio miscetur. Ultra hanc Batham Quinque Ecclesias versus est alia abbatia, quae Petzwaradya appellatur, redditibus amplis insignis.

Hinc occurrunt Quinque Ecclesiae, quarum arx in radice Metsek 9
montis ardui, cuius latera et verticem procera cingunt robora, est condita, sedes episcopi Quinque Ecclesiensis. Haec templo cathedrali divi Petri, tum aedificiis per Georgium Zathmarum eius loci tunc episcopum, qui postea Strigoniensis archiepiscopus fuit, summae pietatis et iustitiae rectique consilii atque non parvae eruditionis virum cum magno arcis decore extructis inclyta est. Ad septentrionale 10
latus templi est collegiatum sacellum divae virgini auratae sacrum, in quo sepulchrum visitur Nicolai olim episcopi Quinque Ecclesiensis, exempli veri episcopi; huic affixum est cilicium, vestis pilis contexta, quam vivens deferebat. Hic dicitur interdiu suam plebem 11
verbo dei pavisse, noctu vero profectus ad sylvam vicinam humeris ligna detulisse et pauperes fovisse hiisque inservivisse, ut etiam ex manuum suarum laboribus pauperibus subveniret, nedum episcopatus redditibus. Huic arci subiicitur ex radice montis praedicti meridiem 12
versus in planiciem porrecta civitas nec situ nec opere satis munita, accolarum tamen comitate et civilitate praestans, canonicis ac praesbyteris referta, fluminis et aquae indiga. Est hortus episcopi ad septentrio- 13
nale latus dicti montis, in quo scaturit fons, cuius fluor civitatem versus quadraginta circiter molas ex ordine circumagit. Erumpunt et alii ex 14
montis latere fontes, quorum per canales diductione civitas reficitur agro fertilis, vini optimi multum abundans, piscium indiga praeterquam eorum, qui recenter a captura mortui aliunde eo advehuntur.

Huic vicina est ad tria miliaria Soclosium arx munitione et 15
natura fortissima, aedificiis vero insignis. A Quinque-Ecclesiis abest ad quatuor miliaria orientem septentrionalem versus oppidum Mohacz ad ripam Danubii situm ex opposito oppidi insulam ferarum altricem facientis, clade Ludovici regis mei funestum, de qua, ut hic locus scribendi non est, ita silendum potius, quam pauca dicenda arbitror.

CAPUT NONUM.

Secunda Hungariae pars partim Dravo et Savo fluminibus 1
includitur, partim trans Savum ad Alpes fere usque, quae Adriaticum respiciunt mare, porrigitur. Trans Savum sunt regna Croacia

et Bosyna, episcopatus Bosnensis, arx Taururum sive Nandoralba
cum oppido eiusdem nominis metropoli Serviae. Huius maenia alluit 2
Savus, qui paulo supra oppidum in Danubium exoneratur. Haec
arx fuit murus Hungariae, qua anno nati domini millesimo quingen-
tesimo vigesimo primo Ludovico rege imperante per Valentinum
Theurek, qui ei arci praefuerat, amissa Turcis, hostibus fidei ad
Hungariae direptionem patuit traiectus. A Taururo legendo ripam 3
adversi fluminis Savi in latere, quod spectat meridiem, sunt ex ordine
positae Sabacz, Wywar, Barka, Myhalocz, Arky, Dobor, Dobotzitz,
Slobotzina et e regione Arky, in Bosyna Grayatz, Maglay, Zrebernyk
arces ante annos circiter viginti per Turcas interceptae.

Quae vero regio Savo et Dravo fluminibus inclusa est, nostra 4
aetate bifariam nominatur. Ea pars, quae ad occidentem hybernum
usque ad fines Carniolae et Carinthiae, quae antea Carnia nominaba-
tur, et comitatum Ciliae vergit, appellatur Sclavonia Hungarica. In 5
hac sunt comitatus Zagrabia, Varasd, Posega, Walpo, Walco et
plerique alii. Episcopatus Zagrabia dignitate et redditibus insignis.
Chasma, Posega ecclesiae collegiatae et situ et proventibus prae-
stantes. Arces Varasdinum, Gerebes, Sanctus Georgius, Rahocza, 6
Monozlo, Sanctus Demetrius, Walpo non longe a meridionali ripa
Dravi sita natura et munitione fortissima, aediticiis vero praestantis-
sima. Ezzek ad ripam pariter eiusdem amnis condita. Erdeud in
monte sita Danubium prospectans septentrionalem, ad meridiem
vero campos latissimos.

Ea vero pars, quae inter ostia Dravi et Savi orientem versus 7
porrigitur, vocatur Sirimium ; in ea sunt arces Wylak, Sirinii initium
et caput, quae in monte Danubio imminente non absimili situ, quam
Buda, iacet regalibus extructa aedificiis, tum sepultura fratris Ioannis
Capistrani inclyta ; Sylsegk, Banmonostra, sedes episcopi Sirimiensis,
Kamancz, Varadinum Petri, Karom, oppidum Zalonkemen in ripa Da-
nubii omnes sitae. Circa septentrionalem autem ripam Savi a meridie 8
orientem versus sunt ex ordine arces Diako, sedes episcopi Bosnensis,
Sanctus Laurentius, Maroth, Racza, Sanctus Demetrius, Bantz, Sempli-
nium et pleraeque aliae. Hic tractus olim Savia sive Savensis regio 9
appellabatur. Haec itaque secunda Hungariae pars, ut supra docu-
imus, Savo intercisa ab ortu Mysos, Tribalos, qui nunc Rasciani
vocantur, contingit; ab occidente Austriae provinciae, ab austro
monti Scardo est contermina, ad septentrionem vero Dravi ripis
finitur.

CAPUT DECIMUM.

Tertiam Hungariae partem, quae inter Tibiscum et Danubium 1
fluvios boream versus ad Carpatum usque montem est protensa
ac inter septentrionem et occidentem Moraviae fines, ad orientem
vero Tibisci in Danubium decurrentis ostia attingit, si Ptolomaeo
credimus, olim Iazyges Metanastae incolebant. In ea est archiepi- 2
scopatus Colocia, qui et Bacia dicitur. Episcopatus Agria, Nitria,
Wacia ; multa ad haec monachorum praelatorum diversi ordinis

monasteria. Comitatus Scepusium, Saros, Wywar, Trinczinium, Nitria, Pesth, Bodrog, Bachia multique alii.

Pesthum civitas, ut ab ea descriptionem exordiar, ad orien- 3
talem Danubii ripam e regione, ut supra memoravi, arcis Budensis conspicitur maenibus in latum orbem circumductis Danubio utrinque compacta; incolis partim Hungaris, partim Germanis frequens et ex utraque parte longis suburbiis insignis; vinis exoticis, non Sirimicis modo optimis atque perinde, ac Cretica sunt, dulci sapore praestantibus, sed etiam Baroniaicis, Somodinis ac alterius generis, praeter haec mercaturis quoque omnibus celebris. Mercatorum 4
magnus est eo concursus. Poloni, Silesitae et pleraeque exterae nationes in ea vinum mercantur. Ager arenosus sterilisque nullius frumenti magis, quam peponum, rapae et raphani minoris ferax. Campum undequaque late habet diffusum, cuius latus septentrionale appellatur Rakos, de quo supra memoravimus. Inter hanc urbem et 5
Budam interfluens Danubius, sicuti etiam in aliis multis locis, quibus quieto delabitur flumine, quolibet fere anno circa finem Decembris mensis et initium Ianuarii ponte non ex roboribus aliaque materia, sed frigore constricto consternitur. Nam pro hyemis rigore 6
tanta glacie ad unum plerumque cubitum alta subito consistit, ut perinde, ac in latissimo firmissimoque ponte plaustra onerata et quaevis alia pondera nunc unius mensis, nunc longioris temporis spacio sine periculo transvehantur. In huius glacialis pontis medio 7
memoratur Mathias ille rex Corvinus absens fuisse in regem electus, dum detineretur iussu Ladislai regis in carcere Pragensi per Georgium Poggiebracium. Alia etiam Hungariae flumina eadem ratione 8
gelu consistunt, quo tempore maxime formidolosi antea nostris fuerunt Turci, ne hac utentes occasione pertransito Savo diriperent Sclavoniam, quam anno praeterito fere totam tum propter Christianorum principum internas dissensiones, ob quas Hungariae, imo suis periculis prospicere non curant, tum propter nostram negligentiam et factiones, quibus regna magna periclitari consuevere, in ditionem suam redegerunt. Conspiceres in Danubii praedicto campo 9
multos homines iacentes interdiu, qui Bacchum Pesthi dulcissimum praeter rationem exhaustum decoquant et in longas horas despument destertantque.

Wacia civitas, sedes episcopi ad ripam pariter Danubii, qui 10
insulam illic mediocrem circumluit, sita est a Pestho boream versus quinque miliaribus recedens. Locus propter montem arboribus plenum ei supereminentem et ex alio orientis latere propter viridaria ei campum late diffusum non modice amaenus. Hinc sub ra- 11
dice eiusdem montis occidentem versus ad aliquot miliaria longe porrecti adverso Danubio non commode ob viam angustam et fragosam pervenitur ad Maros oppidum Wissegrado obiectum. Tum 12
traiectis per ordinem Ipolo, Garano et Nitria fluviis, quos in Danubium infundi supra memoravimus, recurritur ad Gutha oppidum, quod ad ostia Wagi fluminis, circa quae loca piscatio fit antaceorum piscium, situm est. Hinc magis ad occidentem circa ripam 13

eiusdem Wagi, quae est ad zephyrum, constructa est arx fortissima Alexii Thurzonis Sempthe inclusa utrinque oppidis aliquo intervallo ab ea dissitis altero Sered, altero Sempthe nuncupato.

Eo ex loco semipalustri et aliquando profunde lutoso relictis 14
ad dextrum latus aliquot pagis et Tirnavia Posonium tenditur. Haec urbs adiacet ripae Danubii, quae et loco et munitione est fortissima. A sinistro campi satis lati spatio incumbit ei mons, cuius 15
latera vinetis consita sunt. A fronte arx pariter validissima inter montem a sinistro latere sylvosum, inferiore vero vineis consitum condita est in loco aeditissimo aedificiis splendidis decora. Quae 16
ex ea parte, qua Austriae fines respicit et Moravam fluvium, in cuius ripa orientali in aedito monte arx Dewen extructa est duobus a Posonio occidentem versus recedens miliaribus, murum habet viginti circiter pedes latum; qua vero urbem et Danubium prospicit, am- 17
bulationes cum quietis amaenisque interstructis aediculis, ad quas ex regiis cubiculis patet transitus, mea aetate supra maenia aedificatae fuerunt per Ioannem Bornemyssam eius loci comitem, secundi Ludovici regis nutricium, virum non minus strennuum fortisque et magni animi, quam ingenio, consilio, fide et religione praestantem mihi certe veluti alterum parentem, apud quem tamen, licet ἄτεκνον ὄντα, nec captarim nec acceperim, ut plerique alii, haereditatem. Hic ad Danubium et campos Transdanubiales prospectus, 18
magnam praebet oculis intuentium delectationem.

Ultra Posonium intra viscera montis praedicti ad orientem 19
aestivum est arx Stompha et monasterium Heremitarum Thaal, in radicibus vero porrectae sunt arces Sanctus Georgius optimis et dulcibus vinis memorabilis, Bozin, Vereskew, praeterea aliquot oppida. Hinc ad orientem visitur civitas Tirnavia natura minus, quam arte 20
munita. Ad huius maenia fluviolus eiusdem nominis ingens facit piscium vivarium, ex quo iterum effluens prope Wizkele Danubio miscetur. Hanc incolunt Hungari, Germani, Bohemi mercimoniis 21
aliisque rebus usui hominum necessariis abundantem. Nitria dehinc sedes episcopi ad septentrionem orientem versus vergens transmisso Vago fluvio in ripa Nitriae fluminis sita est. Arx et situ et arte 22
munita, a qua distat Trincinium in caeciam novem miliaribus et loci amaenitate propter alluentem Vagum et munitione memorabilis, inter quam et Nitriam sunt arces Galgotz et Themetween atque nonnulla oppida. Supra Trincinium Ilava, tum ad radices sylvosi 23
montis est castrum fortissimum Bistritia, orientem versus Whrowecz et deinde Baymocz ad fluviolum Thurocz sita. Ultra montem arx Letava et citra Vagum magis ad septentrionem Stretzen, Orova, Licava, ultra Vagum Sutzan, Sabinitz, Sklavina arces.

His ad orientem brumalem vicinae sunt septem civitates mon- 24
tanae sylvis et locis asperis interseptae: Cremnitia, Scemnitia, Bistricia, Bucanum, Mons Regius, Dilenum et Libeta, quarum caput est arx Vetus Solium. Hinc arces Saskew, Dobrawina, Wegles, Lyptze, 25
supra quam Garanus oritur; harum incolae utuntur Hungarica, Germanica et Sclavonica lingua auri et argenti fodinis atque aliis metallis, ut

infra dicetur, divites. Hae sunt reginarum Hungariae titulo donati- 26
onis propter nuptias per reges et proceres regni iam olim a maiorum nostrorum temporibus eis destinatae. Inter hos, quibus civitates heae inclusae sunt, montes ac Ipolum fluvium, qui supra Scemniciam in radice montis oritur, ac sylvam, quae Agriae adiacet, sunt oppidum Rimasombath, Ozdien, arces Fylekwar, Lossontz, Salgo, Taryan, Kalonda, praepositura Bozok, oppida Corpona, Lythwa, Hydwegh, praepositura Saagh ad Ipolum, a qua arx orientalis Dregel, oppidum Orosy, quod incolunt omnes liberi. Hi nihil aliud subeunt oneris, 27
quam, quod tenentur e suo gremio regi et reginae ianitores dare. Populus fidus, nulla proditio eorum ministeriis facta fuisse unquam cognita est, quamvis libere ingrediantur regis et reginae cubiculum.

Ab his recurritur Cassoviam, quae ipsis montanis civitatibus 28
est septentrio orientem versus. Haec civitas non minus pulchra, quam munita est, civilitate et incolarum comitate inclyta; olim frequens emporium, quo non modo Hungari, sed etiam Poloni et pleraeque aliae septentrionis nationes confluebant. Lingua utuntur pene Saxonica. Hanc iuxta labitur Hernadus fluvius meridiem versus, qui postea 29
iunctus Saioni amni infra Barsonos exoneratur non adeo procul a Mohy oppido reginae in Tibiscum.

CAPUT UNDECIMUM.

Huic Cassoviae vicinae sunt civitates aliae liberae Eperyes, 1
Leuchovia, Barthfa, Sibinium omnes inter loca montosa sitae, quarum incolae eadem, qua Cassoviani, utuntur lingua. His ad septemtrionem sitae sunt arces Scepusium et inter montes Tharkew, citra Vagum vero ad occidentem Kesmark; Rosnavia autem et Smilnicia oppida, prope quae argenti sunt fodinae, inter Hernadum et Saionem fluvios, tum citra eundem Olsowa. Hinc inter montes Muran arx ad meri- 2
diem occidentem versus sita. Inter Saionem et Hernadum fluvios sunt oppida Vamos, Sykso, tum Cassoviam versus Garadna, Syna, arces Thorna, Naghyda. Intra autem Hernadum et fluviolum, qui 3
ex montibus septentrionalibus diversis fontibus ortus, postea accepto nomine Bodrogh sub castro Thokay ad Tibiscum influit, a borea incipiendo meridiem versus sunt arces Sowar, Czytzwa, Wngwar, Wyhel, Therebes aggere extra maenia circunducto fortissima; circum alpes Tharczal Fyzeer, Wyhel, Sarospathak, Buldokew, Thalya, Tharczal, oppida Zantho, Lyska vini optimi feracia. Arx Thokay 4
in occidentali Tibisci Bodrogh fluvium, uti dictum est, accipientis ripa est condita, qua traiectus est ad reliquam Hungariae partem, de qua paulo post dicemus; locus non minus situ amaenus, quam munitus. In ulteriore fluminis parte ad septemtrionem, ubi oriuntur 5
fluvii Labartz, Ungh, Lazaza, qui omnes primum in Bodrogh et cum eodem deinde in Tibiscum sub Thokay exonerantur, sunt arces Czyczwa, Wrano, Palocz, Kapos, Pynkolcz, Ungwar, Raska et multae aliae. Orientem autem versus in radicibus montis sylvosi, ex quo Lazaza 6
oritur, sita est arx reginae Mwnkacz redditibus vini et porcorum situsque amaenitate insignis, a qua non longe abest oppidum

Bereghzaaz parochiali templo memorabile. In hac ipsa regione, quae est inter Ungh et Tibiscum fluvios, multae sunt praeterea arces et oppida, quae omnia brevitati consulens omittenda esse duxi.

Infra Saionem fluvium meridiem versus, ut eo redeamus, unde 7
digressi fuimus, Dyosgyewr arx reginae cum oppido eius nominis ei subiacente magis amaena, quam munita occurrit; meridionalis Cassoviae, situs amaenitate et omnium rerum copia merito memora-
bilis. Haec extructa est in latere montis ab oriente et meridie sylvis 8
cincti. Cantus philomenarum et aliarum avicularum in ramis vicinarum arborum concinentium verno tempore aures eorum, qui in ipsis
cubiculis arcis agunt, mirum in modum oblectant. Infra arcem fluit 9
ex monte rivus trutis et aliis piscibus delicatioribus scatens. Ad medium hinc miliarium est oppidum Myskòltz (incolarum quibusdam olim ductis choreis iam olim famosum) subditum arci vinis optimis et omni comeatuum genere abundans.

Ab hoc meridiem versus ad quatuor miliaria Agria, sedes 10
episcopi dissita est non solum redditibus amplis, sed etiam loci situ et alimentorum copia maxime insignis. Arx ad montis radicem in loco aeditiore condita est, in qua ecclesia cathedralis, cui subiacent
in planicie aedes capitulares et oppidum. Hinc in ripa Tibisci 11
orientem versus labentis sunt inter alia plurima oppida Zolnok, Warkon, Kerthwelyes, Segedinum oppidum tam camera salis, quod ex Transsylvania, ut infra dicetur, navigio vectum eo loci deponitur, quam loci commoditate maxime memorabile. In ripa vero Danubii e regione meridionali defluentis sunt praetermissis aliis oppida Kerthwelyes, Pathal.

Hinc Colocia sedes archiepiscopi Colocensis ecclesia cathedrali 12
inclyta, Zeremlyem, Bakmonostra, Bodrog, Apathy. Hinc Bachia alia archiepiscopi Colocensis sedes ad unum miliarium a ripa Danubii sita est in planicie omnibus comeatibus, maxime piscibus, copiosa.
Narratum mihi est a fide dignis viris mille circiter pisces lupos 13
sive lucios mistos carpionibus, quorum longitudo mediam ulnam, brevitas vero unam palmam non excesserit, hoc et in aliis locis ei vicinis uno ducato emptos fuisse et nunc quoque pro temporis
conditione emi posse. Tum ad ostia fere Tibisci in Danubium se 14
exonerantis est Titulium praepositura olim redditibus quatuor millium ducatorum dives ; deinde Kysdy, Cabol et aliae plurimae arces partim in ipsa ripa Danubii, partim non procul sitae.

In his inter Danubium et Tibiscum locis ad septemtrionem 15
campus est Cumanorum, in quo Cumani per sedes sive, ut ipsi vocant, sessiones dividuntur. Inter quas sunt vici Zenthkalas, Halas
et plerique alii regio fisco addicti. Alunt pecora et equorum greges, 16
ex quibus opes non parvas sibi comparant; aquae et lignorum sunt inopes, nisi quod ad aquandum pecora puteos non sapidam praebentes aquam effodiant. Ager non ullius leguminis commodius
ferax, quam peponis. Ad ignis usum utuntur arundinibus, fimo ani- 17
malium et modicis lignis procul advectis. Supra quos in orientem aliquot miliarium intervallo dissitus est alius tractus campestris per-

petuo campo, qui Bachiensis regio appellatur, in qua multa sunt oppida, quorum descriptionem brevitatis causa consulto praetereo, quia non est animus totam nunc Hungariam depingere, sed eius saltem situm et nonnullorum locorum positionem. Hic tractus tri- 18
tici, frumenti leguminumque, quam aliarum rerum est feracior. Vino utuntur accolae Sirimico, a quo Danubius interfluens eos dirimit. Nascuntur hic equi et velocitate et fortitudine non contemnendi, sed, quod magna ferant capita, vulgi dicteriis pene ridiculi.

CAPUT DUODECIMUM.

Quarta illa Hungariae pars, quae ultra Tibiscum est fluvium, 1
Ptolomeo referente olim Dacia appellabatur. Haec ad septentrionem Sarmatiae partem attingens a Carpato monte usque ad flexionem Tyrae fluvii porrigitur. Ab austro vero Danubio, ubi Ister vocari incipit, ab occidente Tibisco et Iazygibus Metanistis terminatur. In 2
ea sunt provinciae Valachia Magna, quae et Transalpinia vocatur, Moldavia, Transsylvania, Maromarusium, Samoskeus, Kereskeus, Nyr et Themeskeus. Transalpinia, quae olim a Flacco, qui coloniam Romanorum eo deduxerat, Flaccia vocata fuisse dicitur, ab alpibus, quibus a Transsylvanis disiuncta est, incipiens ad Euxinum fere pelagus extenditur. Terra plana aquarumque indiga. A septentrione 3
Roxanos, qui nunc Rutheni vocantur, ad meridiem Hungariae eam partem, quae arcem Themeswar et campum Maxons respicit, ad orientem vero Danubii flumen Mysiam inferiorem ab ea dividens contingit.

Huius princeps nostra hac aetate est Radwl, qui waiwoda 4
appellatur, opibus et imperio potens; hic sedem habet in civitate Targawystya. Dum exigit necessitas, ad quadraginta hominum millia armatorum conscribere et in aciem deducere intra suos fines posse dicitur. Subditus est regi, cui per legatos praestat iuramentum fidelitatis servandae. In hac provincia a maiorum nostrorum temporibus 5
ad nostram aetatem duae fuerunt familiae in initio ex eadem domo ortae, altera Dana a Dano waywoda, altera a Dragula Dragulana, quarum Aeneas etiam Sylvius in Europa capite secundo meminit. Ex his legitimi waywodae creantur, nunc regis nostri, nunc Turcarum caesaris promoti viribus.

Ioannis Hunyadis, vayvodae Transsylvani, postea vero guber- 6
natoris Hungariae tempestate Dragula waywoda partim interfectis, partim expulsis his, qui e Dani erant sanguine, regnum occupaverat. Mamzillae ab Argyes ex uxore Marina eiusdem Ioannis waywodae 7
sorore duo erant inter alios filii; uni nomen fuit Stantzul, qui Danum et Petrum filios suscepit, alteri Stoian, hoc est, Stephanus. Is me et Mathaeum filios, Ursulam et Helenam filias genuit. Potitus igitur 8
rerum Dragula Stantzulum patruum meum insidiis interceptum securi percussit, Stephanus vero puer adhuc deo sibi propicio illius evadens tyrannidem confugit ad Mathiam regem, qui, ut ab ipsomet patre et Ioanne Bornemyza ac Ambrosio Sarkan comitibus in Hungaria, qui cum patre una sub rege militabant, postea audivi, decreverat eum saepenumero ad regnum cum exercitu reducere, sed pater

videns rerum mutationes, quae imperii gratia illic fiunt, periculosas esse, maluit in Transsylvania matrem meam Barbaram Hwzar ducere uxorem vitamque agere privatam, quam in tyrannide et imperio mille periculis subiecto instar maiorum suorum interfici.

Succedente deinde tempore Myhne propinqua nobis iunctus 9
sanguinis necessitudine, utpote ex Danorum natus gente, vir consilio magnus et manu strennuus waywoda creatur, qui, quum circa annum domini millesimum quingentesimum decimum cum uxore et Mirtze filio ac filia postea per waywodam Moldaviensem, ut accepi, ducta uxore a boiaronibus perfidis coniunctis Turco esset regno pulsus, data ei per regem Wladislaum Ludovici patrem publica fide ad Cibinium Transsylvaniae civitatem confugit. In qua non multo post 10
tempore, dum quodam die ex templo a patre meo et Ioanne Horwath a Wingarth honoris causa ad hospitium deduceretur, quidam Demetrius Iaxyth natione Rascianus ex insidiis subito irrumpens eum incautum nihilque mali sub fide publica metuentem tribus aut quatuor vulneribus inter fere manus deducentium et magnum numerum iussu eiusdem Myhne, ne videretur publicae fidei diffidere, inermium aulicorum confodit. Hic quoque perpetrato facinore ad 11
hospitium propinquum magno tumultu fugatus est et plebe propter regiam et publicam fidem violatam in furorem concitata a quodam plebeo e multitudine, quae aedes oppugnabat, bombarda petitus miserabiliter interiit.

Hae duae familiae in hunc diem mutuo conflictantur quaelibet 12
omnibus curans viribus e sua familia creari waywodam nunc Turcarum, nunc Hungarorum auxilio. Qui potentior est, alium non modo adversae factionis, sed etiam ex sua familia hominem de imperio ambiendo suspectum interficit captumque saepe naribus aut aliis membris truncat. Quod quum saepe alias, tum nuper contigit. Petrus 13
ab Argyes Stantzulis filius, de quo mentionem feci, patruelis meus, scripsit ad me his diebus ex Hungaria se creatum fuisse in Transalpinia waywodam per Mahumetum imperatoris Turcarum bassam et, quum regno praeesset, missum esse aliquo post tempore a Turca alium adversae factionis cum exercitu, qui se expulso regnum occuparet, se vero inter duos exercitus cum hoste singulari congressum certamine illumque a se vulneratum equo deiecisse, quem dum interficere vellet, barones Transalpiniae, qui sua lingua adiectis duabus literis boiarones vocantur, perfidia usi victum liberasse et se cepisse parteque narium truncata expulisse; sperare tamen se in dei clementia, quod expulso hoste ignominiam acceptam armis vindicaturus regno virtute potiatur. Ita spes hominem trahit rerumque humanarum 14
conditiones mutari consuevere. Sed, vix alicubi tuta esse potest regni sotietas, multo minus in Transalpinia nostra aetate iam pro maiori parte Turcarum tyrannidi subiecta. Walachi Christiani sunt 15
praeterquam, quod Graecos sequuti in spiritus sancti processione et quibusdam tolerabilioribus articulis ab ecclesia nostra dissentiant. Haec obiter volui inserere, ut mores Transalpinorum essent cognitiores.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Moldavia regio ab oriente coniungitur Transalpiniae, ad sep- 1
tentrionem occidentem versus Polonis, ad boream interposita Podolia
non longe absunt a Tartaris, qui vicini sunt Ponti Maeotidos. Eius
etiam regionis princeps vocatur waywoda non tantis mutationibus
periculosis, quam Transalpinus, obnoxius. Haud aliter tamen hic 2
quoque, quam ille, iuramentum praestat regi Hungariae fidelitatis
exhibendae. Qui, ut in fide permaneant, liberalitate regum Hungariae
in Transsylvania aliquot arces possident. Nostra hac tempestate
huic provinciae praeest Petrus vayvoda. Lingua, ritu, religione eadem 3
Moldavi utuntur, qua Transalpini, vestitu aliqua saltem ex parte
differunt. Iudicant se Transalpinis esse et generosiores et magis
strennuos; equis praestant. Saepius a rege Hungariae defecerunt;
saepius cum rege Poloniae bellum gessere. Ad quadraginta et ultra 4
millia hominum armatorum dicuntur cogere posse. Sermo eorum
et aliorum Walachorum fuit olim Romanus, ut qui sint coloniae
Romanorum; nostra tempestate maxime ab eo differt, praeterquam
quod multa eorum vocabula Latinis sint intelligibilia.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Transsylvania undequaque cincta est altissimis alpibus ex ea 1
maxime parte, qua Transalpinis secernitur, uno saltem ex latere,
quo septentrionem et Moldavos respicit, patentiorem habet aditum.
Ex Hungaria tres ad eam patent viae heaeque difficiles et salebrosae. 2
Una appellatur Via Mezes ex ea parte, qua Samos, alia Keres dici-
tur, qua Kewres, tertia Porta Ferrea dicitur, qua Maros labuntur
flumina. Ex Transalpinia angustus et arduus est ingressus. Hanc
ob rem Turcae, qui hinc invaserunt Transsylvaniam, magnam saepe
a parva manu accepere cladem. Facilius ex Transsylvania, quae 3
triginta vel circiter miliaria Hungarica longa est et lata fere totidem
aut paulo minus, totam Hungariam subigere possis, quam ex Hun-
garia Transsylvaniam. Nam itinera eius roboribus succisis facile
coarctari possunt.

Gens ad haec membris bene compacta, bellicosa, armata et 4
equis robustis bonisque provisa. Regio tota nunc planiciem, nunc
sylvas alternatim habet; aquarum divortiis flexionibusque, ut paulo
post dicemus, intersecta. Agri fertilis, vini ferax, auri, argenti, 5
ferri aliorumque metallorum, praeterea salis plena, boum, ferarum,
ursorum, piscium abundantissima, ut naturam accusare non possis,
quin omnia vitae commoda in eam contulerit regionem. In hac sunt 6
quatuor diverso genere nationes: Hungari, Siculi, Saxones, Walachi,
inter quos ineptiores bello putantur Saxones. Hungari et Siculi
eadem lingua utuntur, nisi quod Siculi quaedam peculiaria gentis
suae habeant vocabula, de quibus in fine operis latius dicemus.
Saxones dicuntur Saxonum Germaniae esse coloniae per Carolum 7
Magnum eo traductae, quod verum esse arguit linguae utriusque populi
consonantia. Walachi Romanorum coloniae esse traduntur. Eius rei

argumentum est, quod multa habeant communia cum idiomate Romano, cuius populi pleraque numismata eo loci reperiuntur haud dubie magna vetustatis imperiique isthic Romani indicia.

In hac Transsylvania Saio, Bistricia, duo Samos, Magnus et 8
Parvus, qui Vissa Folyo, hoc est, adverse fluens vulgo appellatur, ac duo Kewres (olim Cusus dictus), Velox et Albus, Marus, qui olim Amorrois, Marisus vel Morosus vocabatur, Aranyas, Kikellew et Ompay flumina oriuntur, quae postea diversis aucta fluviis tam intra, quam extra Transsylvaniam maiori eorum parte fiunt navigabilia.
Saio in finibus Siculiae septentrionem versus ortum habet, qui 9
mixtus primum Bistricia amne civitatem et opibus et civium multitudine satis potentem alluente supra oppidum Dees, in cuius montibus sal foditur, in Samosum Magnum ex radicibus alpium Moldaviae emersum ingreditur; circa quod oppidum Samosum etiam 10
Parvum ex radice alpis Kalata ad meridiem sitae supra oppidum Wasarhel ortum admittit; hinc inter duos montes arduos decurrens Tibisco supra vicum Naddi sub oppido Namen miscetur. Inter fontes 11
Samosi Parvi et Velocis Kewres ac alpes Valachorum usque ad fluentem Magnum Samosium sunt Gyalu, Almas, Hunyad arces, Vasarhel, Seek, Iklod, Nemethi, Alpreth, Keresthur, Mihal, Ciobor.
Non longe a Gyalw Kewres ipse Velox oritur, cui loco Kerewsfew, 12
hoc est, Caput Kewres est nomen, qui in meridiem excurrens ac in angustiis montium crebris reflexionibus girisque, ut non secus, quam saepius reversus uno die vigesies circiter transmeetur, cum magno inter silices strepitu primum pagum Fekethetow, tum extra Transsylvaniam Rew et Thelegd arces, deinde Waradinum civitatem praeterlabens recta meridiem versus decurrit admissoque utriusque Kewres, Nigri et Albi fluvio in Tibiscum supra Chongrad exoneratur.
Fons Nigri Kewres oritur in alpibus Belenes prope arcem Fe- 13
kete Bathor, Albi vero Kewrews in montibus Transsylvaniae meridionalibus citra oppidum Abrwgh Banyam, qui penes Keres Banyam ac Felthot ad arcem Gywlam et Bekes in meridiem decurrit atque cum aliis duobus Kewres in loco iam dicto miscetur. Fons vero 14
fluvii Marus sive Marisi in Siculia ortum habet, qui admissis Gergyn et aliis rivulis eodem fere tractu ortis ad viscera penetrat Transsylvaniae, qui tandem non longe a Gherend oppido fluvium Aranyas ad meridiem in alpibus septemtrionalibus circa oppidum Abrwg Banyam sitis orientem et septemtrionem versus penes vicos Lwpsa, Thorozko ac oppidum Thorda, in cuius montibus sal est, defluentem admittit. Ideo nomine Aranyas appellatum, quia non secus, 15
quam de Tago Hispaniae ac Pactolo Lydiae fluminibus memoriae proditum est, aureas vehat arenas; aranyas enim Hungaris sonat auratus. Hinc Marisus ipse admissis supra Albam Gywlam, quae 16
sedes est episcopi Transsylvanensis (ecclesia cathedrali multisque opulentis sacerdociis et sepultura Ioannis Hunyadis inclyta), Kykellew, Ompay et aliis fluviolis penes eandem Albam Gywlam ac oppida Wyncz et Borberek dirimens meridiem versus inter oppidum Zazwaros et Rapolth, a quibus spacio duorum milliarium Hunyad arx

fortissima sub radice montis meridionalis sita distat. Haud procul 17
a Dewa arce in altissimo monte condita penes Kapronczam et Waralyam inter montes utrinque eminentes, qui rivulos illi infundunt plerosque, labitur; deinde praetergrediens Lippam arcem, Orodium praeposituram et ecclesiam collegiatam, Naghlak arcem ad Zegedinum oppidum Tibisco miscetur.

Inter fontem Aranyas et eius ostia a septemtrione incipiendo 18
meridiem versus sunt oppida et villae Sanctus Rex, Decze, ubi naves sale onerantur, Myroslo, Thorozko, Ennyed, Dyod, arx Senthmyhalkew, Lwpsa, Polsaga, Zalothna, Bakay, item Kebelkwth, Somkerek, Bontzida, Ludas, Kolos, ubi sal e monte extrahitur, et alia nonnulla. Coloswar, Teutonice Clausemburg, quae olim Zeugma 19
fuisse traditur. Civitas et situ et opibus et rerum omnium copia mercatoribusque inclyta. Abbatia Colosmonostor, Thorda oppidum, penes quod similiter sal scinditur, et multa alia. Ultra sub Siculia 20
intra alpes, quae orientem versus Transalpiniae imminent et quibus ad meridiem Transsylvania ab Hungaria disiungitur, sunt oppida Regen, Wasarhel, Zakad, Terem, Naghlak, Saros, Wdwarhel, Rehalom, arx Kykellew non minus munita, quam amaena; civitates Medyes et situ et arte munita ac usui hominum commodissima, altera civitas Brassovia sive Corona antea Zemigethusa appellata ad fines Transsylvaniae orientem versus sita est tum munita, tum civium et mercatorum frequentia celebris, victu vero commoda. Ad 21
haec Transalpinorum et aliorum externorum hominum emporium. Huic vicina est arx Thertz fortissima, claustrum veluti et porta Transsylvaniae, qua Transalpinis est introitus, in asperrimo loco sita.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Hinc sunt septem civitates, quas sedes vocant Saxonicas, 1
Cibinum, Sazsebes sive Millembach, olim Sabesus, Segeswar, Saswaros sive Brosz, Wyntz, Berthalom et Holtzona. Harum quarumlibet praefecturam, quae iudicatus regius vulgo vocatur, rex confert. Subsunt his singulis multa oppida et vici.

Cibinum caput septem sedium Saxonicalium, qua orientem et 2
meridiem respicit, in colle, qua vero alias plagas, in ipsius collis lateribus extructa est. Fons est in loco urbis aeditiore, ex quo aqua per cannales eo ducta in labrum decidit; hoc magna incolarum pars utitur. Qua ab occidente intratur, in loco urbis humiliore 3
admissum est brachium Cibinii amnis, qui pleno alveo extra maenia delabens in fluvium Altum complures rivulos ex septemtrionalibus Siculiae plagis ortos prius admittentem non procul a Turri Rubra exoneratur; hoc brachio molae frumentariae et aliae intra maenia ad civium usum fabricatae aguntur. Magna est haec urbs atque 4
potens et non solum aedificiis magnificis decora, sed omnibus negociationibus aliisque rebus florens; ad haec munitissima praeter maenia, quae et lata sunt et turribus crebris robusta, fossa ex omni parte, praeterquam ab oriente, aquatica et lata et profunda circumducta est, quam extrinsecus in omnem urbis partem latissima et altissima

vivaria in triplicem et quatruplicem ordinem, alicubi ad unum fere Italicum miliarium circumcingunt, ob quae non patet ad maenia aliunde hostibus accessus, quam per vias, quae ducunt diversis e regionibus ad urbis portas; hae quoque vallo, claustris et aliis 5 munimentis satis firmatae sunt, ut vix alia ratione urbs expugnari possit, praeterquam inedia aut civium negligentia vel discordia, quibus potentes saepe urbes periclitatae fuere. Non procul hinc ad 6 radicem alpium, quae sunt Transalpiniam versus, est turris fortissima sub ditione Cibiniensum existens, quae Rubra vocatur; hac Turcae per ardua alpium itinera saepe invasere Transsylvaniam cum maxima sui clade.

A Cibinio non longe dissitum est oppidum Vizakna, prope quod 7 sal effoditur. Civitati Zazwaros, cuius praefectura nobis hereditaria Matthaeus Olahus frater fungitur, in loco amaeno et fertili sitae et propter propinquum illi flumen ad incolendum commodae subest ad unum miliarium septentrionem versus vicus quidam, cui nomen est Kinyer, Latine panis. Huic adiacet campus eiusdem nominis 8 planus longeque diffusus, qui memorabilis est Turcarum et Hungarorum quoque magna internecione; Mathiae regis tempestate, dum Stephanus Bathoreus Transsylvaniae praeesset, Turci duce Balibeco alpibus superatis numero, ut traditur, sexaginta millium equitum invasere Transsylvaniam. His Stephanus coactis subito omnibus, quae 9 potuere, Transsylvaniae copiis accersito etiam in auxilium Paulo Kinysy comite Themesiensi praeter Turcarum spem in eo campo occurrit, ubi tanta utrinque commissa est caedes, ut rivulum, qui in campi medio labitur, sanguine mixtum fuisse ab his, qui praelio interfuerint, audiverim. Balibecus, cum paucis per alpes difficulter 10 evasit; nostrorum maxima pars interiit. Stephanum Bathoreum waywodam equus ab hostibus vulneratus deiecerat, qui tamen adiutus a suis incolumis evasit; in eo, quo deciderat, loco sacellum postea aedificavit huius rei perpetuum monumentum. Episcopi Transsylvani 11 eius temporis ducenti equites cataphratti in ea pugna desiderati sunt. Ad horum corpora conquirenda ipsemet profectus ea Albam Iuliam, quae tribus circiter miliaribus ab eo distat campo, cum pompa funebri reduxit. Tanta fuit boni huius viri erga suos in defensione ab hostibus patriae trucidatos pietas.

Census habent Saxones statutos, quos regi conferunt. Saepe 12 tamen maior legitimo ab eis exigitur. Agriculturae et aliis laboribus sunt mirum in modum dediti; faeminae perinde opus faciunt, ac mares, quae patientissimae sunt laborum. His ex causis Saxones opulenti sunt; hospites honorifice excipiunt et lautissime tractant.

Fogaras arx munitissima ad radices alpium, quae Transsylva- 13 niam a Transalpinis dividunt, condita; rivulis, qui ex alpibus delabuntur, in queis trutae sunt et alii pisces delicatiores, aliisque rebus amaena. Haec arx est, veluti quidam parvus ducatus. Subiecti enim sunt ei boiarones Walachi, qui arcis dominum observant, ut principem.

CAPUT XVI.

Supra Samos fluvium, qui, ut ante memoravimus, inter duos 1
montes in occidentem primum labitur, ad montes septemtrionales
est oppidum Rivulus Dominarum et Felsew Banya, circa quae auri,
argenti et aliorum metallorum sunt fodinae. Hinc meridiem versus 2
occurrit regio Samoskews ea ex re ita nominata, quia sit inter
Samos et Tibiscum fluvios, in qua sunt oppida Velete, Varalya,
Medyes, Dabotz, Zathar, Wilak, Egri, Paled, Forgola et multa alia
praeter ea. Huius septemtrio et occidens est Maromarusium comita- 3
tus, in quo citra Tibiscum prope oppidum Rona sunt salis fodinae,
ex quibus sal perinde, atque saxa, in lapicidinis ferro excinduntur,
quae cum arce Hwzth in monte alto supra ripam Tibisci sita, tum
Vysk ac aliis oppidis his subiectis pertinent ad reginas Hungariae
iure donationis propter nuptias. Arx et oppidum Zewlews parochiali 4
templo redditibus opulento memorabile, Dolha, Salak, Vari et oppida
pleraque sunt sita.

Ea vero regio, quae ultra fluvium praedictum Samos et citra 5
montem sylvosum, intra quem villae sunt plurimae Valachorum,
continetur, vocatur Sylaghysagh, ubi inter alia oppida Zehota, ad
ripam Samosii orientalem Zathmar, ad occidentalem vero Nemethy
visuntur. Tum meridiem versus occurrit inter Tibiscum et Samosium 6
fluvios ac montes Varadienses ad orientem existentes usque ad
oppidum Debretzen regio Nyerkews, in qua sunt oppida Darotz,
Domanhyda, Karol, Zantho, Bathe, Kallo, Sancta Margarita, Belthewk,
Zekelhyda, Markosfalwa, Bezermen, Guta, Zalard, Istard, infra quae
orientem versus est civitas Waradinum, sedes episcopi ecclesia
cathedrali, sepultura divi Ladislai regis miraculis clari et Sigismundi
imperatoris inclyta, in qua die noctuque ex eiusdem caesaris funda-
tione psalmi Davidici ad eius tumbam mutatis per vices personis
concinuntur. Arx huius conspicua est tum statua equestri divi Ladislai 7
aerea ingentis molis, tum aedium magnificentia, quas Sigismundus
Turzo episcopus, meus olim nutricius aedificaverat. Civitatem eiusdem 8
nominis a septemtrione Kewres fluvius, qui in Transsylvania supra
oppidum Hwnyad et arcem Sebes exiguo fonte ortus Rapidus sive
Velox ob rapidum, ut arbitror, fluxum vocatur, pleno alveo multis
aliis fluviis auctus intersecat. A meridie supra arcem exoneratur
ad fluviolum Petze brachium exile ipsius Kewres.

Huic sunt vicina Pispeky, Bihorium, Kerezthes et pleraque 9
oppida. Occidentem versus latissimi sunt campi alendis pecoribus
commodissimi. In queis est oppidum Debreczen civium opulentia, sex
nundinis annuis, pecorum mercatura et aliis rebus insigne. Inferius 10
sunt Angelhaza, Nadwdwar, Ostupal aquae et lignorum indiga.
Utuntur accolae in fomentum ignis arundinibus, cespitibus et lignis
procul eo advectis. Inter hos fuit mihi cognitus quidam civis, cuius
nomen erat Gaspar Byro, qui decem circiter millia boum saepe
alebat venalia. Hinc versus meridiem in ripa orientali Tibisci Bala, 11
Sanctus Nicolaus, Warsan, in adversa vero ripa Velocis Kewresii

Sanctus Andreas, Alba Ecclesia, Bekyn, inter utramque Thur oppidum.
Inter tres Kewres, Velocem, Nigrum et Album, qui tractus 12
Kereskews vocatur, versus radices montis est arx Fekethebathor, Ireg, infra quae ad meridiem vergunt Chefa, Zadan, Mezewgyan, Keleser, Gyarmad, Sarkad oppida. Hinc magis ad orientem arx munita Gywla, Bezely, Theleky, Miske, Talpas, Felthoth oppida. Quae autem inter Album Kewres et Maros fluvios in meridiem 13
porrigitur regio, Maroskews vocatur. In ea versus promontorium Makra, in quo optima nascuntur vina, sunt arces Solymos, Lyppa, Vilagoswar, tum ad Kewresii ripam Pankotha, Zarad, Kerek. Dehinc 14
magis ad meridiem sita sunt oppida Simand, Paly, praepositura Orodiensis non parvi nominis, arx Naghlak, oppida Bozzas, Rawashaza, Kwthas, Perek, Hethes, Sanctus Ladislaus, Czongrad et alia plurima.

CAPUT XVII.

Ex rupe aut monte, qui oppido Karansebes imminet, oritur 1
amnis Themes, qui illud ac castellum et oppidum Lugas, cuius incolae sunt fere omnes equites militiae dediti, ac Possam alluens meridiem versus defluit ac arcem Themeswar fortissimam ab ipso amne ita denominatam attingit. Haec arx obstat Turcis, ne a Sa- 2
mandria pertransito Danubio Themesium traiicere ac Hungariae fines invadere possint. Locus hic populosus et omni genere comeatuum, maxime piscium copiosus. Amnis Themesium per latis- 3
simos primum defluens campos partim in Danubium sese evomit medio inter Samandriam et Taururum sive Bellogradum a septentrionali fluminis ripa interstitio, partim non nihil ad occidentem aliquot factis insulis (quarum aliquot arundinibus et arboribus frequentes ob vehementiam ventorum huc illuc moveri natareque videntur) conversus prope Titulium orientali Tibisci ripae se infundit sicque sui partem in Danubium quoque perducit. Inter hunc Themesium et Marus fluvium, quae sita est regio, Themeskews vocatur.
In ripa occidentali Themesii sunt Sarad (cui in ripa ulteriore 4
Ictar et Rekas), Tzona, Beregza, Czokoan, Aracha, arces Beche et Bechkereke et multa alia oppida. E regione autem in ripa Marosii orientali incipiendo a borea meridiem versus sunt ex ordine Bisere, Zendi, Zewldin, Egres, Sanctus Michael, Chanadium episcopatus ecclesia vetusta et loci commoditate spectabilis, Zombar, Desk, Zewrek, mediterranea vero Zetzen, Zakan, Kenetz, Horogzeg, Zentel, Galad, Orozlan, Monosthor, Czoka. Magna est in hoc tractu piscium copia, quam facit trium fluminum piscosorum propinquitas. Cornelius 5
Duplicius Scepperus eques auratus Caesaris Caroli a secretis et consiliis, quo cum mihi est ob eius virtutes arctissima familiaritas, dum anno exacto apud Turcarum imperatorem legatione functus per Hungariam hoc itinere huc ad Belgas rediisset, inter alia nostra amica colloquia interrogatus a me, ecquid de Hungaria ei videretur, dixit se revertisse per hunc tractum Themesiensem desertum quidem et nunc vastatum a Turcis, sed piscibus abundantem; Themesium 6

fluvium se vidisse prae multitudine piscium veluti nigricantem et turbidum; quendam etiam molitorem rete suum immersisse flumini et, veluti e vivario quopiam, tantam exhausisse piscium multitudinem, ut rete vix eos continere potuerit, qui ex omni eo numero non plures, quam unum delegisset piscem aliis maiorem, caeteros proiecisset in continentem; quo facto se molitori non parum succensuisse propter tot optimorum piscium iacturam.

Inter hunc Themesium flumen et Danubium est campus, qui 7
Maxons appellatur, in cuius medio sylvoso arx est Ersomlyo, alia
item Themeswar versus campestris arx Somlyo cernitur. In hoc vasto 8
campo a Themeswar arce usque ad ripam Danubii e regione, cuius Samandria arx Turcarum ad meridiem sita est, in latitudinem duodecim et amplius miliarium Hungaricorum protenso saepe visus esse dicitur grex cervorum, cervarum et damarum trium, quatuor et plurium millium, quarum venatio nec nostris tuta est a Turcis nec illis a nostris, praeterquam quum trecenti pluresve egressi fuerint equites.
E regione Samandriae in ripa Danubii septentrionali sunt ex ordine 9
ad boream Kewy, Dombo, Haram, Buthotzin, Sanctus Ladislaus, Pedt iam a multis annis per Turcas occupatae.

Hinc Zeverinum arx infra Traiani pontem cum tribus aliis 10
Orsowa, Peth, Myhald illi subditis; harum praefectus vocabatur banus, magistratus inter nostros magni nominis. Sedecim vel circiter nunc aguntur anni, quod hunc banatum incuria nostrorum amiserimus.
Non procul a Zeverino fons dicitur scaturiens, quem accolae Sanctae 11
Crucis nominant, cuius aquam multis accepi conferre corporis languoribus; nihil immundi intra se continere, mortuorum animalium cadavera experiundi gratia eo proiecta paulo post eiecisse; faces, nescio, quas ardentes noctu isthic videri; has ob res etiam Turcis fontem in magna esse veneratione. Haec ego olim audivi a servis Barnabae 12
Belay bani eius loci, penes quos fides rerum habeatur.

Pons Traiani, cuius mentionem fecimus, magnificis extructus 13
fuit operibus, quod licet ex his Dionis Cassii, quae subieci, verbis cognoscere. Per ea, inquit, tempora Traianus lapideum pontem in Istro fecit, opus sane mirandum et maxime memorabile, cui caetera
illius opera vix adaequare possis. Viginti stant ex quadrato lapide 14
pilae, quarum altitudo centum et quinquaginta pedum praeter fundamenta habetur; latitudo sexaginta pedes continet; distant inter se centum et septuaginta pedibus, fornicibus vero coniunguntur.
Impensa profecto ingens et vix credibilis. Sed illud mirari convenit, 15
quanam ratione et quibus viribus quove artificio in illa gurgitum altitudine tamque praecipiti fluvio tum singulae columnae extrui valuerint, tantarum molum fundamenta stabiliri; vada praeterea
limosa erant neque amnis alio averti poterat. Quanta vero altitudo 16
sit aquae et quam latus pateat amnis, haud equidem enarraverim; diffunditur per ea loca spaciosus atque interim mole concitatus ripas longius summovet, alibi vero duplo atque interim triplo priori
sui parte maior aut restagnat aut defluit. Qua vero arctatur, vorti- 17
cosus et ferox, aedificia et pontes non patitur et rursum liberatus

angustiis in pelagi formam totus expatiatur iterumque coit, quasi retentus profundior et rapidus fertur. Arduum igitur et maxime laboriosum fuit in ea fluminis parte pontem aedificare. Hunc pontem postea 18
Adrianus demolitus est alia, quam qua Traianus aedificaverat, ductus ratione; hic, ut omnibus anni temporibus Romano exercitui esset contra barbaros securus per Danubium transitus; ille, ne barbari pertransito commoditate pontis Danubio Romanam ditionem incursare possent. Extant etiam nunc aliquot pilae pontis ipsius reliquiae. Huic ponti haec erant inscripta: Providentia Aug. vere pon- 19
tificis. Virtus Romana quid non domet? Sub iugum ecce rapitur et Danubius.

CAPUT XVIII.

Nunc tempus admonet, ut, quae in hac descriptione a me supe- 1
rius praetermissa sunt, in unam veluti omnia summam contraham et ob oculos ponam. Hungariam igitur ipsam rerum omnium, quae tum 2
ad usum mortalium, tum ad opes comparandas necessariae esse putantur, non exiguam gignere copiam satis constat; terram habere nigram, pinguem, uliginosam, quae scilicet non magno cultorum labore uberes producat fructus, stercorationis nec ad arva nec ad montes consitos vitibus instaurandos nullus admodum (exceptis pauculis montosis quibusdam locis) est usus. Arva semel vel bis leviter arata seminata- 3
que copiosum ferunt tritici frumentive et aliorum leguminum fructum. Sunt certa, ut accepi, loca, in quibus, si sementem farris feceris, ad tertium dein annum ob terrae succulentae bonitatem vertatur in electi tritici granum.

Vini copia tanta, ut omnes fere Hungariae regiones (exceptis 4
campis, qui citra et ultra Tibiscum Varadinum versus sunt atque tractu Bachiensi et pauculis aliis locis) vina generosa, dulcia, styptica, media inter utraque, fortia, levia, temperata ferant, multo maiorem tamen albi, quam rubri copiam. Usum cerevisiae ob vini abundantiam mi- 5
nima regni pars novit. In campis Cumanicis praeter vina advectitia usum habent Cumani cuiusdam liquoris ex milio et aqua suo more expressi, quam bozam vocant. Contingit plerumque, ut aeris tempe- 6
ries et bona anni tempestas tantam vini vim suppeditet, ut vix reperiantur dolia vino condendo necessaria, quod ego in comitatu de Baronya, dum essem Quinque Ecclesiis, hisce vidi oculis, sed cogantur vasa ad alios usus domesticos praeparata in usum vinorum infundendorum convertere et pro vase vacuo alterum vas vino repletum rependere. Vinorum melius est et nobilius, primum, quod in Sirimio, 7
tum Simigio, Baronya, Posoniensi, Soproniensi, Agriensi, Borsodiensi, Uywariensi, Vesprimiensi, Zaladiensi comitatibus, postremo in Transsylvania et Sclavonia nascitur. Vites sylvestres maiores et botros 8
et acinos in plerisque locis maxime in Sirimio producunt, quam non paucis in locis domesticae cultaeve, neque, quod ex iis vinum exprimitur, minus sapidum est, quam quod apud Belgarum quosdam nativo in solo productum habitumque ab incolis precio expositum vidi atque expertus sum.

Fructuum omnis generis infinita copia. Peponum et melonum 9
varia genera ut frumentum in campis seminantur; Italicis, sive
magnitudinem sive saporem dulcem consideres, non inferiora. Ad
vina, aquas et fructus sub diebus caniculae refrigerandos, ubi
desunt cellae vinariae frigidae, utuntur nostri glacie in cavernas ab
hyeme coniecta conservataque. Phasianorum, perdicum et sylvestrium 10
et campestrium, gallinarum sylvestrium, turdorum et aliarum quoque
nobilium diversarumque avium ea abundantia, ut in his Hungariae
nihil omnino deesse videatur. Nonnullae aves, quae in Belgica Gallia 11
et aliis regnis in precio atque delitiis habentur, ut ardeae et rostra-
tae, quas Galli begasas, Germani vero sneppas vocant, aliaeque id
generis, nihili in Hungaria penduntur neque earum est usus; tanta
est aliarum delicatiorum copia.

Amplitudo et satietas tanta est pascuorum, ut multa millia 12
equorum, boum, ovium, caprarum et aliorum id genus pecorum
alat. Faeni tanta vis, ut campis primo vere ob neglectum in eis
non recisum faenum ignis iniici soleat, quo herbae novellae repul-
lulare possint. Visum est vehementia ignis campis saepe iniecti
temeritate seu incuria bubulcorum et pecuariorum magnam sylvarum
quantitatem aliquando consumptam. Sylvae tot et tantae, ut et coloni 13
nullo impenso precio ad quotidianos usus lignorum abunde sat
habeant; lucri etiam causa, quotiescunque visum illis fuerit, ad
vicina devehant oppida ibique vili precio venalia exponant. Apum et
mellis magna copia. Equi optimi, celeres, decori et pulchritudine 14
insignes, inter quos meliores aestimantur, quos Transsylvania, Si-
culia et Valachia educat. Horum multi etiam Turcicis, qui et per-
nicissimi sunt et pulchri, praestant.

Nec minus tot greges boum, caprarum, ovium tantaque copia 15
ferarum omnis generis, ut non modo Hungaria earum sentiat com-
modum, verum vicinae quoque provinciae harum sint participes.
Boves partim omnem illam Italiam, quae est circum Venetos, partim
Austriam, Moraviam, Bavariam, Sueviam et populos Germaniae, quam
lata est, ad Rhenum usque alunt. Audivi ego pluries a publicanis, quos 16
vulgus trigesimarios vocat, in singulis nundinis boariis, quae circum
loca Viennae civitatis Austriae bis quotannis aut pluries celebrari
consuevere, sese a boum triginta et amplius millibus vectigalia sive
trigesimas regi exegisse. Taceo hic eorum numerum, qui alio per 17
Styriam et Carinthiam itinere anno quolibet in Italiam aguntur, quem
non minorem eo esse constat, magna ipsius parte, ut supra dictum
est, horum usum habente. Eorum quoque boum numerum, qui in
Moraviam quotannis agitur, praetereo. In locis fere singulis Hun- 18
gariae ea est ferarum tam maiorum, quam minorum omnis generis
copia, ut, sicuti aves qualescunque, ita feras tam nobilitas, quam
plebes aeque passim venentur aucupenturve quisque in suum tum
usum tum voluptatem.

Piscium praeterea antaccorum non ossibus, sed cartilaginibus 19
compactorum, quos Hungari lingua patria wyzam, Germani huzo-
nes vocant, sturionum, thook, keczyge, quos Plinius pelamides forte

appellat, item silurum, quos nos hartzam vocamus, sylleu, trutarum
et aliorum omnis generis fluviatilium, quos etiam alia ferunt regna,
quanta sit abundantia, vicini populi pro comperto habent. Saepius 20
hoc visum est et nunc videri potest Danubii, Tibisci, Themesii,
Dravii et aliorum aliquot inundationibus tantam vim piscium aqua
tandem refluente in alveis riparum haesisse, ut negligentia colonorum
et mortuis porci pasti fuerint et ex relictis aer caloribus in-
fectus nonnunquam luem accolis invexerit. Si quispiam retia habuerit, 21
non deerunt ei pisces absque precio, modo abstineat a paucis locis
prohibitis. Cancrorum etiam piscium in omnibus fere Hungariae
locis competens est sufficientia. Verum in pagis praesertim Mariae 22
reginae dominae meae ad arcem Altenburgum pertinentibus tanta
eorum praehenditur copia, ut coloni soleant multis plaustris Vien-
nam vicinam eis civitatem venundandos invehere.

Antaceorum piscium, quorum supra meminimus, hoc modo 23
fieri consuevit piscatio. Inter Taururum et Posonium civitatem sunt
pleraque loca in Danubii alveo, ubi aqua est et altior et vorticosior;
in his antacei habent suum veluti diversorium. In mense Novembri, 24
antequam glacies appareat, trabibus tota Danubii latitudo paribus
intervallis compingitur relicto in medio ipsius alvei loco vacuo, qui
nassa vel reti ad id parato communitur. Infra trabes piscatores ex
naviculis sua tendunt retia. In ripis interim Danubii iaculationibus 25
machinarum veluti tonitrua emittuntur, quibus antacei ex suis la-
tebris exciti et vi quodammodo expulsi Danubium circumnatant,
quos postea piscatores in retia delapsos tam facile ad ripas trahunt,
ut nihil oneris sibi adesse sentiant. Nonnunquam in loco et pisca- 26
tione una antacei demptis aliis minoribus piscibus prenduntur ad
numerum mille et ultra, ex quibus reperiuntur nonnulli duodecim
et ultra pedum longi.

Thermae quoque quamplurimae sunt diversis in locis tanta 27
vehementia alicubi erumpentes, ut molas circumagant frumentarias.
Heae ad omne fere genus morborum curandorum sanissimae ex
experientia habentur maxime, quae sunt Budae, Varadini, Thrincinii
et in Sclavonia.

CAPUT XIX.

Auri, argenti, ferri, cupri, stanni, vitrioli, marmoris et rubri 1
et albi maxima ibi copia. Alabastrum quoque est Hungaris patrium,
qui aliquantum etiam plumbi habent non tamen ad necessitatem
regni ex omni parte sufficiens, quod hac de re ex Polonia adve-
hitur. Montes minerarum, metallorum et ferri per Hungariam plu-
rimi, qui non coluntur. At fodinae aurariae et argentariae, quarum 2
nunc est usus, primum sunt, ut memoravi, prope civitates, quas
montanas vocant, nempe Cremniciam, Schemniciam, Bistriciam et
loca eis vicina, tum in Ryhnow, Rosnavia et Smelnitia, dein in
Rivulo Dominarum, postremo in Transsylvania. Cibinii, Cremnitiae 3
et Cassoviae Hungariae civitatibus cuduntur aurei, quos ducatos
vocant, monetae autem argenteae purae tum in his eisdem semper,

tum ubicunque et in quot regi pro tempore commodum esse videtur, locis. Aurum est triplex; unum reperitur inter lapides solidum 4
in massae formam, natura satis defecatum et purum, quod alii quidem diversa in magnitudine, ego vero ad quantitatem habui ovi gallinacei ponderis supra centum ducatorum. Nuper scripsit ad 5
me Nicolaus Gherendinus episcopus Transsylvanus frustum talis auri in pondere trecentorum et quinquaginta ducatorum se habuisse; scripsit item colonum quendam circa Abrugh Banya, quod oppidum est in limitibus Transsylvaniae, ea ex parte, ubi Albus Kewres in Hungariam inter montes elabitur, nuper reperisse aurum huius generis in magnitudine panis rusticani ponderis supra mille sexingentorum ducatorum. Reperitur idem etiam magnitudine nucis et lapil- 6
lorum. Alterum extrahitur artificio ex mineris aurum argentum et cuprum simul complectentibus. Quod vero est tertium, ex fluviolorum (qui praeter Aranyas fluvium, de quo supra meminimus, sunt plures) alveis arenosis expurgatur, quod arenosum sive lavatile ex ipsa re vocant. Primum et ultimum genus gignit Transsylvania, medium aliae Hungariae, ut supra relatum est, partes. Qui viderunt, 7
certo dicunt in Scepusio, in quo etiam vitriolum destillat, esse fluviolum, qui ferrum iniectum in speciem et materiam cupri transmutet. Nec hoc taceo esse in Hungaria terram viscosam in modum cerae, ex qua luminaria facesque et lucernae fiant insuaviter tamen olentes.

Montes sunt salis fossilis plurimi, inter quos, qui nunc colun- 8
tur in Transsylvania, sunt quinque prope oppida Vizakna, Thorda, Dees, Seek, Kolos; in Maromarusio vero unus et alter prope Rona oppidum. Loca haec vocantur camerae, praefecti vero camerarii. Alterae, quae sunt in Transsylvania, spectant ad fiscum regis, alterae 9
in Maromarusio sunt reginae Hungariae ex donatione propter nuptias. Caeteri salis montes, qui plurimi sunt, ut lucrum regi et reginae ex iam dictis accrescat, vetiti sunt sub gravi paena coli praeter regis consensum atque arbitrium. Idem fit etiam in montibus aurum, argentum et mineras producentibus, qui ultra praedictos sunt plurimi. Sal, qui in Transsylvania effoditur discinditurque, per duo flumina 10
Maros et Samos navigio usque Tibiscum amnem evehi, hinc ad varias cameras regias per totam Hungariam distribui venundarique solet. Maromarusius vero partim curribus, quorum quemlibet boves 11
in sedecimum et ultra iuncti ordinem, partim navi ad superiores Hungariae partes, quae sunt circa Tibiscum superiorem, ad cameras reginales in usum earum et illis vicinarum regionum advehitur. Hoc sale Hungarico non modo Hungari, sed et Serviani, Bosnenses et Turcae utuntur. Sunt et in Transsylvania prope Kolos rivuli salsi ex 12
montibus decurrentes, quorum aqua utuntur rustici in condimento ciborum manifesto argumento optimum exinde sal, si paulum adniti velint, coqui posse, quod ne tentare quidem cogitant alterius satis magna copia exuberantes.

Totius huius Hungariae regnum continet in se nostro hoc 13
tempore diversas nationes, Hungaros, Alemanos, Bohemos, Sclavos, Croacos, Saxones, Siculos, Valachos, Rascianos, Cumanos, Iaziges,

Ruthenos et iam postremo Turcas, quae omnes differenti inter se
utuntur lingua, nisi quod aliqua vocabula propter diuturnam consue-
tudinem atque mutuum commercium aliquam habere videantur si-
militudinem et symphoniam. In valle Agriensi aliquot pagi incolun- 14
tur habiti pro coloniis Eburonum, qui nunc Leodienses dicuntur,
olim eo traductis. Horum incolae in hodiernum diem Gallicam so-
nant linguam. Quo autem tempore aut eo traducti sint aut sponte
migrarint, haud satis compertum habeo.

Alius etiam est pagus inter Maros et Album Kewres fluvios, 15
extra Transsylvaniam, cui ab huius nominis et vicino ei oppido
nomen est Symand, qui accolas fere omnes habet claudos, caecos
homines vel cruribus vel brachiis contortis vel alia corporis faeditate
insignes. Eo sanum neminem admittunt, qua re et quod sint cor- 16
poris deformitate conspicui, maxime gloriari videntur, non id quidem
ferente natura, sed quod fama est infantes recenter natos a paren-
tibus aut excaecari aut ipsorum ossa compaginesque membrorum,
quo sint ipsis deformitate corporis non inaequales, interverti. Hi 17
ab initio, ut, quemadmodum corporis habitu, ita etiam idiomate ab
aliis differrent, propriam sibi linguam, qua inter se loquerentur, a
nemine externo, nisi suo cive intelligibilem, quam nostri caecorum
linguam vocant, confinxerunt. Hacque utuntur praerogativa, ut sint 18
ab aliis oneribus caeterorum Hungarorum perferendis liberi atque
per omnes regni partes cancionibus mendicalibus victum quaestum-
que sibi et suis faciant. Hominum genus turpe, infame et omnibus
cruciatibus dignum, qui naturae humanae decorem facto suo scelesto
dedecorant, a quo a principibus nostris sive aliis maioribus rebus
deditis sive in amplo regno id non advertentibus hactenus prohi-
biti non fuere alioqui generi humano non tantam infamiae defor-
mitatisque notam inusturi.

His a nobis brevius modestiusque, quam Hungariae est fer- 19
tilitas, expositis rem iam institutam adgrediamur.

NICOLAUS OLAHUS

ATHILA

CAPUT I.

Quo primum tempore Hunni sub ducibus Bela, Cheva et 1
Cadica in ripa Tibisci castra posuere, Pannonias incolebant diversae
gentes, quarum limitibus ad arcendos barbarorum excursus adversa
Danubii ripa Maternus aut (ut alii tradunt) Matrinus praefectus
fuit. Hic non eas modo provincias, quae nunc Hungaria appellatur, 2
sed etiam Dalmatiam, utrasque Mysias, Achaiam, Thraciam et Mace-
doniam administrabat. Igitur certior a suis factus Hunnorum gentis 3
antea incognitae multitudinem intra provinciam suam magna vi in
ripa Tibisci castra posuisse, statuit Detrici, qui id temporis non
minima Germaniae parti praeerat, quod se obiicere tantae bar-
barorum multitudini vereretur, auxilium implorare. Is conscripto 4
celeriter magno vicinarum omnium gentium, velut ad commune ex-
tinguendum incendium, exercitu in Pannoniam adveniens in eo, qui
nunc Zaazhalom vocatur, campo non longe a meridionali ripa Da-
nubii consedit. Urbs non multum ab eo loco aberat Potentiana 5
inter campum memoratum et oppidum Thethem ad eiusdem flumi-
nis ripam sita loco aliisque commoditatibus memorabilis. Hic 6
quum Maternus ageret copiasque ad arcendum repentinum hostium
adventum conscriptas haberet, eo profectus est Detricus, ut, quid
facto opus esset, cum eodem consultaret decernerentque, praestaretne
traiecto Danubio Hunnos in castris imparatos adoriri, an aliam ratio-
nem eos opprimendi inire quisve modus cum hostibus tam inopina-
tis atque incognitis esse deberet pugnandi. Qua re per exploratores 7
Hunnis nunciata, dum consultatio iusto diutius inter imperatores
protrahitur, relicto in castris ad uxores et res suas tutandas prae-
sidio Hunni cum caetera militum multitudine Tibisco traiecto ad
loca Danubio propinqua pervenere. Licet autem Detricus et Mater- 8
nus ab exploratoribus accepissent hostes appropinquare, arbitrati
sunt tamen inter eos murum fortem interiectum esse Danubii flu-
men, quem barbari non facile essent superaturi. Hac ducti fiducia 9
quum segniores in re sua curanda essent, Hungari, haud multi
laboris esse rati post tot arduos plurimosque invios montes, prae-
cipitia et flumina superata Danubio transvehi utribus, quorum
magnum numerum ad usum castrorum habebant, Danubium praeter
spem hostium infra Budam civitatem traiecere, cui loco, ubi nunc
oppidum est, ob hunc traiectum postea Hungarice Kelenfewlde, id
est, terra traiectus, nomen est inditum. Hic coactis et in ordinem 10
redactis militibus Maternum et Detricum in tentoriis ad urbem
Potentianam tunc quietos somnoque deditos nocte intempesta subito
invasere. Qui insuetis Hunnorum, quos more Scythico edebant,

clamoribus exciti, quid facerent, qua erumperent, qua hostibus resisterent, non satis sciebant. Milites quoque et socii eorum non 11
minus, quam duces, tam repentina hostium irruptione perculsi arma et castra deserere. Hunni fugientes persequi, tota nocte caedere, trucidare et ferro omnia delere. Lucescente die insequenti Hunni, 12
ut se et milites caede hostium nocturna iam fessos reficerent, in valle Tharnok non longe a Potentiana urbe castra metantur.

Hac clade et internecione suorum Detricus et Maternus vehe- 13
menter perturbati versabant dies et noctes animo, quo modo acceptam ignominiam insigni aliquo facinore delerent. Contractis igitur, 14
qui adhuc a clade supererant, militibus et his ac omnibus aliis quoque, qui in praesidio urbis atque aliis in locis erant, in ordinem redactis, antequam Hunni vires recenti caede fatigatas recuperare possent, eos in ipsa valle Tharnok invadunt. Hunni tum clade noctis 15
praeteritae sine magno labore hostibus a se illata animati, tum suorum multitudine confisi strenuo animo contra hostes tendere, acriter se defendere. Duces partitis inter se exercitus ordinibus 16
quisque nunc monendo, hortando, nunc hostium impotentiam et paucitatem elevando, ut milites acrius fortiusve hostibus insisterent, summam operam navare, nunc, ubi hostes vehementius urgerent, etiam ipsi concurrere, strenue se gerere, pugnare et virtutis suae facinora edere. Contra Romani quoque haud segniter Hunnorum 17
impetum propulsabant, se vitamque tutabantur, magnam nostrorum caedem stragemque edebant memores de facultatibus, imperio et salute sua in eo agi certamine. Fit igitur atrox pugna, magna utrin- 18
que strages; campus utriusque partis cadaveribus consternitur. A prima luce caedes ad solis occasum protrahitur. Qua ex re virtutem utriusque populi, quantum quisque manu et robore valeret possetque, satis cerneres. Verum declinante iam sole res Hunnica fit inferior 19
ob praeteritae noctis vigilias, inquietem et labores. Dant igitur nostri terga, quos, quia iam pugnando defessi erant, Detricus et Maternus persequi non potuerunt. Hungari ea, qua prius, celeri- 20
tate Danubium traiicientes ad castra, quae ultra eum reliquerant amnem, rediere. Centum et viginti quinque millia Hunnorum in ea pugna desiderata esse traduntur, inter quos etiam Kewe unus e ducibus interficitur. Hostium vero ducenta et decem millia dicuntur 21
caesa praeter eos, qui in castris periere. Funesta sane pugna et memoratu digna. Sequenti die Detricus et Maternus, etsi victores, noluerunt tamen Hunnorum reditum eo loci expectare ac praelium sequens, quod futurum esse rebantur, tanto suorum periculo com- 22
mittere. Cum militum igitur suorum reliquiis Tulnam oppidum versus, quod a Vienna nunc Austriae civitate olim non multum aberat, celeri itinere sese recipiunt.

CAPUT II.

Hunni accepta hac hostium fuga in campum, ubi erat pugna- 1
tum, revertuntur, in quo conquisitis suorum cadaveribus, maxime vero Kewe ducis, ea iuxta viam publicam more Scythico magna

pompa sepeliunt. Quo in loco statuam ponunt lapideam rerum ibi 2
gestarum apud posteritatem monumentum. Huic loco additum nomen Kevehaza, id est, domus Kewe, qui nunc mutatis et detractis
litteris Keazo appellatur. Post, ubi suorum funeribus Hunni more 3
suo parentarunt, non multo tempore omnem Pannoniae inferioris regionem, quae circa Danubium est, partim vi, partim deditione
subigunt. In qua uxoribus, liberis et omni familia collocatis fortu- 4
nam ulterius experiundam rati magno exercitu, quem ex omni plebe iam rursus validum conscripserant, victoria superiore elati Tulnam
oppidum versus tendunt. Detricus et Maternus post praelium antea 5
confectum coacto novo milite in campo Kesmawr eis occurrunt. Nostri statuunt prius mori, quam pugnam detrectare ac loco cedere
et virtutis suae pristinae tot iam laboribus et periculis partae gloriam obscurare. Primi igitur aciem instruentes in terrorem hosti- 6
um clamorem terrificum edere, tympana more patrio pulsare, iaculis ac telis hostem eminus ferire, ordines turbare coeperunt;
ubi turbata omnia vident, impressione facta cominus pugnare. Nec 7
Detricus cum suis rem segniter gerebat. Qua impetus et vis maior ingruerat, ea nostris resistere et se suosque strenue defendere. At
Hunni, in quam partem incubuerant, omnia caedibus prosternere. A primo diluculo ad horam diei nonam acerrime pugnatum est. 8
Ad extremum hostes multis acceptis vulneribus terga vertunt. Hunni quoscunque fugientes consequi poterant, passim omnes trucidant.
Maternus ea pugna obtruncatus est; Detricus in fronte sagitta gra- 9
viter vulneratus vix evasit, ex quo vulnere aegre tandem convaluit. Ob quod vulnus acceptum cognomen Detrico ab Hunnis inditum
immortalis, quem in hunc diem Hungari in suis cantionibus more Graeco historiam continentibus Detricum immortalem nominant.
Teli huius, quo fronte ictus erat, partem, ut plagae acceptae et 10
cicatrice et teli fragmento fidem imperatori faceret, dicitur Romam tulisse. Tantum sanguinis in loco pugnae fluxit, ut campus fere
totus cruore maduerit. Nec Hunni laetam et incruentam victoriam 11
sunt consequuti, nam quadraginta millia ex eis occisa esse dicuntur, inter quos Bela, Keme et Kaydicha duces occubuere, quorum
corpora ad statuam lapideam, de qua supra diximus, in sepulchro Kewe tradita sepulturae sunt. Hostium maxima pars concidit praeter 12
paucos, qui elabi fuga potuere. Nihil post eam pugnam tentatum fuit contra nostros nec a Germanis nec ab aliis hostibus; ita duorum praeliorum strage ac calamitate vires eorum fuerunt debilitatae et concisae.

CAPUT III.

Potiti hac Hunni victoria iam universae Pannoniae et regio- 1
nibus his, quae Materno suberant, libere imperitare coeperunt nec erat quispiam, qui arma illis obtendere auderet. Ita magnum imperium subita fortunae mutatione brevi tempore de manu in manum
venit. Igitur amissis, ut diximus, quatuor aliis ducibus arbitrati sunt 2
Hungari imperium magnum laboribus, periculis et vi partum ita

demum duraturum, si illius gubernationi quispiam et animi et corporis viribus praestans praeficiatur. Memores namque erant ad 3
conservanda non minore virtute opus esse, quam paranda regna. Diu itaque inter se primum agitant, quisnam potissimum par esset tanto oneri ferendo et tantae multitudini iam prosperis rebus magis quam antea elatae e bono publico regendae. Tandem sententia 4
omnium anno incarnationis domini quadringentesimo primo Athila, qui solus e numero ducum Hunnorum cum fratre Buda adhuc supererat, rex creatur. De cuius natura, moribus et corporis habitu non absurdum videtur pauca referre. Athila Hungarice Ethele dic- 5
tus statura media fuit, pectore et humeris latis, capite ad membra caetera aequo, fusca facie, oculis nitentibus, ipso intuitu severitatem quandam prae se ferentibus, rarus barba, simo naso, incessu superbus, pronus in venerem, corpore laboris, inediae, vigiliae et frigoris iuxta ac caloris patiente, magna vi animi, consilio bono, audax, manu strenuus et in rebus militaribus exercitatus, cupidus gloriae, in hostibus fallendis, dolis insidiisque struendis vitandisve et ingeniosus et callidus, in praeliis omnia circumspiciens, nunc militis strenui, nunc ducis optimi agens officium, ut illud Homericum,

ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής,

merito ei conveniret, erga superbos ferox, supplices vero facilis et misericors.

Hac ipse corporis et animi vi praeditus imperio accepto agi- 6
tabatur in dies magis ac magis cupiditate regni sui proferendi et eos populos, quorum auxilio Maternus contra se ac suos bellum gesserat, invadendi iniuriaeque acceptae vindicandae. Statuit igi- 7
tur Illyriam, Mysias, Achaiam, Macedoniam et Thraciam, qui Materno milites auxiliares antea miserant, primo quoque tempore adoriri. Verum, ne domi imperio suo aliquid se absente decederet et ut 8
esset, qui suo nomine regno praeesset, Budam fratrem toti illi regioni, quae a Tibisco usque ad Tanaim amnem ad septentrionem protenditur, praeficit. Iubet barbaras omnes nationes, quae Hunga- 9
rico iam subiectae erant imperio, illi parere, ipse vero ex Sicambria civitate, quam sibi regiam delegerat, cum exercitu decies centum millium militum (hunc enim copiarum eius numerum praeter nationes illas, quae ad eum undique convenerant, chronicon tradit Hungaricum) in campum progreditur. Apparatum ipsius bellicum 10
talem fuisse ex scriptoribus comperimus. Tentoria habebat varia ex more regnorum, quae antea subegerat, mira arte contexta. Id, quo 11
ipsemet utebatur, ex serico, auro, gemmis intextum ornatumque erat pretiosis interiectis lapidibus; huius mali aurei, quorum commissiones atque iuncturas uniones splendidi ornabant. Aliud, in quo equi stabulabantur, sericeum totum. Lectus, quo cubabat, tum 12
mensae et conviviorum, praeterea culinae instrumentum, ephippia, phalerae et alia equorum ornamenta auro gemmisque decora. Iam sta- 13
tim ab initio imperii, ut erat earum rerum, quae bello usui sunt, studiosus, tormentorum et machinarum bellicarum ad moenia diru-

enda et ad vallum castrorum suorum muniendum non parvam vim
compararat. Constituerat ad haec decem millia curruum falcatorum, 14
quibus castrorum suorum munitionem veluti muro cingeret. Gladio
utebatur, ut ipse putabat, divinitus ei misso.

Namque, dum quadam nocte per quietem vidisset se a Marte 15
armari, postero die quidam ex gregariis militibus detulit ad eum
ensem in campo patenti, dum vestigium cuiusdam vitulae sauciatae
insequeretur, forte fortuna repertum. Quae res fidem praecedentis
sui somnii non modice confirmavit. Insigne tam in scuto, quam 16
velis gerebat asturem avem coronam capite gestantem. Militum suorum arma erant ex Scythia exportata: clypeus corio tectus ferroque polito superinductus, arcus cum sagittis, lanceae cuspidibus
acuminatae et ensis femori accinctus. Habitus corporis non adeo 17
magnus, at vultu aspectuque horridus; barba promissa crinibusque
incomptis. Indumentum pelles hirsutae more Scythico. His orna- 18
mentis populis omnibus terrori erant, quem Hunni cultum usque ad
tempora Geysae ducis filii Toxon (de quo et aliis etiam Hungariae
ducibus ac regibus, si per occupationes licebit, alias forte dicemus)
in omnibus suis expeditionibus servarunt. Deos colebant Iovem, 19
Martem, Mercurium et Venerem, quorum auspiciis omnia sibi prospere successura arbitrabantur. Titulus Athilae, quo utebatur, erat: 20
Athila filius Bendegicz, nepos magni Nemroth, in Engadi nutritus,
dei gratia Hunnorum, Medorum, Gothorum, Danorum rex, metus
orbis. Cui posterioribus temporibus propter verba eremitae adiecit: flagellum dei, de quo infra fusius dicetur. In hunc modum 21
comparato instructoque exercitu non modo suis, verum etiam omnibus mortalibus Athila admirationi atque terrori erat.

CAPUT IIII.

Memor igitur Athila Illyricos, Mysos, Achivos, Macedones et 1
Thraces adversum se suosque Materno non minimo antea fuisse
auxilio horumque ope magnam genti Hunnicae stragem illatam eorum
provincias summa invadens alacritate diripit, vastat ac late popu-
latur. Iam Byzantio victor imminebat, dum inter belli apparatum 2
Theodosius imperator moritur. Sabellicus tradit Hunnos a Theodosii ducibus uno praelio superatos. At vetus nostrorum chronicon
nulla accepta aut clade aut damno victores laetosque magna praeda
cum Athila Sicambriam revertisse refert. Theodosio successit Mar- 3
tianus, qui vires Athilae multorum iam regnorum imperio auctas
veritus, ne scilicet quatuor simul potentissimi populi ab oriente
Persae, ab occidente Vissigothae, ab Aphrica Vandali, a septentrione Hunni eodem tempore bello se premerent, cum Genserico Vandalorum rege et cum Persis in certum tempus inducias paciscitur
ratus his quiescentibus se facilius armis Hunnicis obviam iturum.
Dum Athila sive metu venturi contra se ex Asia Martiani impera- 4
toris, ut quidam tradidere, sive tentorii sui sereno coelo subito
prolapsi portento perculsus Sicambriam reversus fuisset, dimisso
exercitu ad ea Pannoniae loca, quae illis ad curanda corpora qui-

etemque aliquantisper agendam distribuerat, ipse, ne id quoque temporis, quod a bello supererat gerendo, inutiliter ac praeter publicum suorum commodum absumeret, statuit regnum legibus stabilire arbitratus leges regno firmando non minus necessarias esse, quam arma. Igitur, quum legibus ex aequo et bono publico con- 5
scribendis, subditis in ordinem, quo viverent, redigendis operam daret, reges et populi complures partim nominis, fortitudinis ac in rebus militaribus gloriae ipsius fama, quae totum fere iam penetraverat orbem, pellecti, partim existimantes deposita priore praeferoci natura eum iam ad mores civiliores conversum iri atque regnum suum legibus firmaturum hacque re aliquam praebiturum et continentiae et iustitiae suae speciem, ex diversis orbis regionibus in dies ad eum confluebant, quos, ut externorum animos sibi conciliaret, benigne excipiens liberalibus donis onerabat. Inter quos 6
Valamirus orientalium rex Gothorum, Hardericus Gepidarum rex strenuissimus et ob res praeclare gestas insignis nec non Dietmarus et Vittimarus ex Ostrogothorum regulis, praeterea populi Marchomanni, Suevi, Quadi, Heruli, Turingi et Rugii militari virtute omnes praeclari regis Athilae imperium atque societatem ultro subierunt.

Athila plurimis iam auctus victoriis regumque ac multorum 7
elatus imperio arbitrabatur non magni esse laboris totum occidentem bello subiugare. Qui, ut partim opum suarum ostentatione, par- 8
tim humanitate, beneficiis et munificentia eos, qui nondum in sui admirationem exciti erant, sibi conciliaret, diem statuit, quo non modo subditi, sed etiam alii externi, quorum esset id faciendi animus, praestita eisfi de et securitate ad se venirent. Quae res fecit, 9
ut multi mortalium ex longinquo populo ad ipsum ultro commearint. Detricus Veronensis, quem cum Materno contra Hunnos tam infeliciter gessisse supra docuimus, cum plerisque Germaniae, cui praeerat, principibus benignitate admonitus Athilae sponte ad eum venit. Quibus Athilae summa humanitate ac benevolentia appella- 10
tis exceptisque magna munera largitus est. Detricus animum Athilae in se et suos comem atque benevolum esse animadvertens eum belli et rerum gerendarum suapte etiam natura avidum ad arma superiori primum Germaniae, dein Galliae inferenda accendit. Quod 11
eo facilius illi persuadet, quod et Germaniae et Galliae populos praesidio vacuos esse certo affirmat. Igitur Athila ingenti et suorum et externorum, qui ad eum confluxerant et quorum benevolentiam atque fidem iam sibi satis perspectam esse arbitrabatur, conscripto exercitu ex Sicambria castra movit. Exercitum eius ad quingenta millia armatorum Sabellicus fuisse tradit. Ducto igitur milite per 12
Austriam, Bavariam, Sueviam et eas Germaniae, quae Rheni ac Danubii fontibus inclusae sunt, regiones atque interim omnibus, quae ei obvia erant, oppidis partim propter rebellionem et quod commeatu prohibebatur viarumque angustiis ubique intercludebatur, funditus eversis, partim in fidem acceptis Constantiam versus exercitum ducit.

Sigismundus eius regionis ea tempestate princeps non longe 13

a Basilea ad Rheni ripam sita magnis copiis illi occurrit, quem
Athila cum exercitu pene omni facile prosternit atque fugat. Hic 14
fractus praelio, posteaquam videt fortuna ac viribus Athilae se esse
longe inferiorem, non gravatim cum regno in deditionem eius con-
cedit. Hinc auctus in dies vi et opibus Athila Argentinam ad Rhe-
num pariter sitam obsidione circumsedit. Ea urbs a nemine ante 15
id tempus imperatorum vi capta esse traditur. Haec non multis post
obsidionem diebus expugnata in praedam direptionemque datur
militum omnibus structuris, quae in modum munitionis in ea erant
aedificatae, dirutis et demolitis. Moenia illius in multis locis solo 16
aequata sunt, uti in memoriam nominis Athilae cunctis mortalibus
aditus libere pateret. Promulgatumque est ipsius iussu per praeco-
nem, ne muros demolitos vivo se incolae reficere auderent. Hanc
ob rem urbi Alemanico vocabulo Straspurg nomen inditum esse
dicitur, quod sonat arx viae. Post haec, traiecto Rheno per Tulin- 17
gos, Heduos et Sequanos, qui nostra aetate Burgundi dicuntur, exer-
citum ductat. Gundicarium eorum regem iam tum magnis viribus
se Aetio et Theodorico coniungere volentem cum omnibus suis
copiis iusto conflictu interficit deletque. Qua parta insigni victoria 18
multas Sequanorum et Galliae munitas urbes opibus viribusque
praestantes (inter quas Lixovium, Besontionem, Matisconem, Lug-
dunum, Cabilonem et Lingonum urbem memorant) funditus evertit.
Autor est Sabellicus eum in Gallia Rhemenses primo adortum esse 19
et Nicasium eius urbis episcopum, de quo paulo post dicemus,
virum moribus, vita et sanctitate illustrem ibi iugulatum. Verum 20
satis constat ex historia nostrorum Rhemensium expugnationem et
Nicasii mortem post pugnam Catalaunicam esse factam.

CAPUT V.

Paulo ante, quam Athila intima Galliae penetraret, videns 1
fortunam rerum omnium dominam, quoquo versus tenderet, rebus
suis victoriam polliceri, simul etiam arbitratus neminem in Gallia
obvium sibi futurum, qui fortunae et viribus suis resistere posset,
rem suam segnius solito agere, multitudini suae plus iusto fidere.
Hac ex re, quoniam nondum de Aetii copiis adversum se iam con- 2
scriptis certi quicquam acceperat, minore exercitu satis se munitum
esse rebatur ad ea, quae conceperat, perficienda. Tertiam igitur 3
copiarum suarum partem ad fines Hispanicos diripiendos depo-
pulandosque mittit. Refert chronicon nostrum hos Athilae milites
Hispaniae aliqua parte ferro igneque vastata usque ad regulum
Baeticae provinciae, cui nomen Miromanno fuisset, penetravisse
eumque terrore Hunnorum omnia caedibus longe lateque vastantium
vehementer perculsum ex Hispali, ubi degebat, per fauces Gaditani
freti in Africam elapsum fuisse. Id tamen pro comperto affirmare 4
non ausim, quum et Galliam Aquitanicam et Hispaniam eo tempore
Visigothos possedisse constet. Nunc tempus admonet, ut, quoniam
in Aetii mentionem incidimus, quae de eius origine et fortuna ac-
ceperim, quam paucissimis referam.

Aetius ordine patricius ex Dorastana Mysiae erat oriundus. 5
Is initio ob virtutem et rei bellicae artes ab Honorio imperatore in
locum Constantii copiis suis praefectus multa praeclara contra Bur-
gundos, Francos, Halanos virtutis suae ediderat facinora. Postremo, 6
quia Halanis, Vandalis et Suevis, qui ad Emeritam, quae ad Aram
fluvium sita est, consederant, viribus impar ad interiorem Hispaniam
sive metu hostium sive quod tantae multitudini suos non putavit
temere obiciendos, exercitum suum retraxerat, eum Honorius im-
perio copiarum privavit. In cuius locum Castinum quendam ma- 7
gistrum militum Scythici generis virum suffecit. Hac Aetius ac-
cepta contumelia Romam reversus statuit ruri vitam agere priva-
tam, in qua nihilo magis ab inimicorum suorum accusatione tutus
esse potuit. Itaque reus moliendarum rerum novarum factus mortem 8
procul dubio evadere non poterat, ni fuga in Pannoniam occulte
abiisset, ubi vivente Honorio commoratus Athilae et Hunnis charus
erat tam ob insignes animi virtutes, quam quod omnem Italicarum
rerum statum Hunni ab eo didicerunt. Hic igitur Honorio mortuo 9
et in locum eius Valentiniano suffecto Romam revertitur. Unde
ductus ad Valentinianum Placidiae matris suasu, gratiae et amicitiae
caesaris (Castino, quem in locum eius surrogatum fuisse ante me-
moravimus, in exilium misso) restituitur.

Huic Aetio Valentinianus Galliam tuendam committit, pollicitus 10
enim ei fuerat se facile prohibiturum Hunnos, ne Pannoniae fines
egredi auderent. Igitur Athila cum his, quos supra diximus, regibus 11
et populis Galliam Aetio magistratum eius gerente primum inva-
dere statuit sive, quod Aetius promissa, quae Hunnis de rebus Ita-
liae olim fecerat, minus servasset, sive potius, quod Gallia devicta
Italia, ad quam diripiendam iam pridem Aetii hortatu animum in-
tenderat, minori postea negotio se potiturum speraret. Occiso igitur 12
Gundicario rege ac eversis, ut supra retulimus, oppidis Burgun-
diae secus Rhodanum flumen progressus omnibusque locis, quae
occurrebant, demolitis contendit Aureliam urbem ad ripam Ligeris
sitam eamque obsidet. Cuius oppugnationi quum totis intenderet 13
viribus, tum primum certior est factus Aetium sollicitare reges et
populos, uti magna vi contra se tenderent. Ea res Athilae praeter 14
expectationem accidit. Quare veritus, ne Aetius, quod iam factum
erat, Theodoricum Gothorum occidentalium regem, cum quo iam
pridem grave susceperat bellum, sibi conciliaret, statuit animum
Theodorici Hispaniarum et Galliae Aquitanicae tenentis imperium,
an ad se pellicere posset, sollicitare. Mittit igitur ad eum legatos, 15
qui dicerent se venisse in Galliam magis, ut regum populorumque
amicitiam, quam inimicitias quaereret; nihil aut praeclarius aut ad
imperia diu conservanda tutius sibi visum, quam beneficio et bene-
volentia, ubi eius sit facultas, animos regum sibi faventes facere;
igitur in primis se cupere amicitiam et foedus cum eo inire; ab 16
omni bellorum motu eum abesse; sibi cum solis Romanis belli esse
causam, qui ab initio Hunnis infensi semper fuissent. His Theodo- 17
rico frustra recitatis legati re infecta revertuntur. Nam iam antea

Aetius suspicatus Athilam Theodorici societatem affecturum, ipse prior in amicitiam suam bellique communionem illum traxerat, partim promissis, partim antiqui inter Hunnos et Gothos odii commemoratione gentem Gothicam magna olim ab Hunnis contumelia simulque ignominia esse affectam dictitans; maiores ipsius a suis sedibus illorum rabie expulsos; Hunnos fecisse, ut extorres Gothi patria virtute novas sibi sedes in Gallia Hispaniisque quaererent; iam instare iterum, ut his quoque, quas olim virtute pararant, sedibus eos deturbarent; venisse nunc Athilam eo consilio in Galliam, ut et Gothorum et Romanorum imperium per summum eorum dedecus, ni rebus suis una prospiciant, simul armis occupet; proinde nunc esse diis datam occasionem, qua antiqua Gothis illata a barbaris iniuria et calamitas vindicetur, qua Hunnorum ferocia atque superbia refrenari possit; id autem factu esse facillimum, si vires Theodoricus suas viribus Romanorum coniungat; se omnibus modis curaturum, ni socius sibi deesse malit, ut se duce veteres maiorum suorum iniurias diis faventibus sit vindicaturus atque Galliam a barbarorum tyrannide liberaturus. Hac oratione Theodoricus rex, simul memoria antiquae etiam inimicitiae permotus se Aetio belli socium contra Hunnos pollicetur hisque conditionibus foedus cum illo firmat, ut paribus viribus communique impendio bellum Hunnicum sint administraturi et confecturi.

CAPUT VI.

Posteaquam Athila de Theodorici et Aetii foedere a suis legatis fit certior, putavit ulterius non esse sibi cunctandum, sed sine mora hostibus obviam prodeundum, ne mora et cunctatione inimicorum vires ex finitimis populis magis ac magis in dies crescerent. Igitur soluta obsidione Aureliana cum exercitu adversum hostes ire properat eo fretus consilio, ut eos incautos imparatosque adoriatur. Dum iter faceret, repertus a suis in praecipitio ardui cuiusdam montis eremita quidam, qui, ut a mundanis procul tumultibus in dei ministerio vitam tranquillam ageret, eo loci tugurium vile extruxerat, ad Athilam ducitur. Huius adventu rex multum laetatus sciscitatur, quisnam hominum esset, cuius dei cultum observaret, quid in loco aspero vitam sibi agendam decrevisset, quem sibi dii eventum belli promitterent. Is post diuturnum silentium, veluti numine afflatus divino regi respondet se hominem Gallum esse et cultorem illius dei, quem Christiani in persona trinum, in substantia tamen et divinitate unicum vere et sancte colerent, ac illum, unde abductus esset, elegisse habitationis suae locum, ut a terrenis tumultibus seiunctus deo ipsi, cuius nomen profiteretur, carne rationi subacta et vigiliis abstinentiave macerata quietiori mente famulari illiusque legem meditari et praecepta servare posset. Quod vero, inquit, fortissime regum, me cogis, ut dei voluntatem tibi aperiam tuique consilii eventum, etsi illius, qui res mortalium omnes manu sua continet, minimus sim vermiculus, ut non sit possibile quempiam illius immensa consilia comprehendere, tamen, ne

arbitreris dei mei, quem ignoras, cuius religionem, populos cultui eius deditos persequi in animum induxisti, me, quatenus eius sinit benignitas, ex omni parte esse ignarum, non sis nescius deum ipsum ob flagitia sui populi irritatum, qui, ut eos a iustitia et vera religione ad impietatem prolapsos, ambitione, superbia, iniusta imperandi libidine accensos, pauperum oppressione plenos, nulli magis rei, quam bello intestino deditos, voluptatem et corporis delicias ratione neglecta quaerentes, turpis lucri avidos, proborum virorum contemptores, adulatoribus, perniciosis tum principum tum regnorum proculdubio eversoribus aliisque aurium oblectamentis plus, quam veritate et honestis studiis gaudentes, aliis etiam facinoribus scelestis contaminatos et rebus omnibus impiis obnoxios ad modestiam, humilitatem, temperantiam, iusticiam, charitatem pacemque mutuam, continentiam, liberalitatem in pauperes, ad aestimationem proborum, ad veritatem (quae et regum et imperii est conservatrix) audiendam et studia recta aliasque virtutes et verum sui cultum (qui praecipue in fide et charitate erga ipsum atque proximum nostrum consistit) iustamque vitam te stimulante reducat, gladium suum in manus tuas nunc dedit. Tu enim dei es flagellum ad vitia Chri- 7
stiani populi corrigenda missus. Hunc a te reverso ad sanitatem suo populo, dum volet, rursus auferet et alteri pro suo arbitrio tradet. Te tantisper tua hac potentia terrena uti patietur, dum ei 8
visum fuerit. Qui, ut certus sis, cogitatus consilium et vires tuas praeter dei arbitrium nihil roboris habituras omniaque non modo terrena, sed etiam coelestia in ipsius nutu esse posita, astrorum portenta te animadvertisse existimo. Hoc praelio, quod contra Ro- 9
manos facturus es, eris inferior. Non tamen potentia et imperium tuum e manibus tuis mox elabetur, sed eo ad id temporis usurus es, quoad deus, ut populus suus ad meliorem te urgente redeat frugem, tibi constituit.

Athila, ubi eremitae verba accepit, admiratus homunculi huius 10
tam sapientem eloquentiam, inopinato tamen perculsus nuncio iubet eum amoveri et in custodia ob prudentiae reverentiam honesta servari, donec ab aruspicibus vatibusque suis, quorum magnus apud eum id temporis erat numerus, de rerum suarum eventu certiora intelligeret. Accersitis igitur illis, qui de praelio futuro senti- 11
ant, percontatur. Hi extis pecorum pro sua disciplina inspectis vaticinia eremitae vera esse affirmant. Addunt ad haec ducem ho- 12
stium praelio casurum. Proinde licet Athila animo erat sollicitus de adverso futuri praelii eventu, maluit tamen fortunae se committere et extrema omnia experiri, quam terga vertere ac virtutis suae gloriam foeda fuga dedecorare. Eremita donato et in tugurium suum, 13
ex quo abductus erat, remisso cum toto exercitu suo campum Catalaunicum versus, ubi Aetius et Theodoricus cum Sangibano Alanorum et Meroveo Francorum regibus atque populorum Burgundorum, Francorum, quibus Meroveus rex praeerat, Lucianorum, Armoricorum, Saxonum, Riparioliorum, Brigonum, Lambrionum, Sarmatarum, Lutetianorum et Britannorum odio potius Athilae, quam

amicitia Aetii concitatorum magnis copiis convenerant, celeri contendit itinere. Quo dum pervenit, edoctus hostium numerum longe, 14
quam antea credidisset, maiorem esse, tum primum facti sui poenitere coepit, quod exercitus sui tertiam partem Hispaniam versus misisset. Dum igitur hae suae copiae ad se reverti possent, 15
bellum ducere trahereque constituit. Ita castris suis decem illis, de quibus supra diximus, curruum falcatorum millibus e disciplina militari firmatis praetexto pacis mutuo tractandae legatos ad Aetium inducias petitum mittit. Is, tum quod consilii Athilae non omnino 16
ignarus erat, tum quod tot regum, populorum ac nationum viribus plus iusto fidebat, inducias se ullas daturum negat. Animus Athilae, 17
etsi inter spem et metum varie agitabatur, revolvens identidem secum suorum prae hostium multitudine paucitatem, simul etiam eremitae ac aruspicum suorum vaticinia, tamen ducis hostium interitu, quem vates praedixerant, semet consolabatur animumque subtrepidum spe aliqua sublevabat arbitratus Aetium proculdubio ea pugna interiturum. Itaque exercitus etiam sui quovis discrimine belli subire 18
fortunam constituit, modo Aetium, ut ipse sperabat, interfectum conspiceret. Multa prodigia huius praelii atrocitatem pronunciarunt. Luna binam eo anno passa est eclipsim; plurimae urbes repentino 19
terraemotu corruerunt; coelum cruento hiatu apertum mutuis hastis ignitis id oblique scindentibus; visus praeterea cometes aliquot noctibus radios suos occidentem versus porrigens. Quibus ostentis 20
multi mortales terrebantur et non Athilam tantum, sed etiam Aetium et Theodoricum magna incesserat cura res suas, quam diligentissime fieri posset, ad futurum conflictum praeparandi utrisque utpote rem suam superiorem futuram sperantibus. In campum igitur Ca- 21
talaunicum sive Mauriacum, quem haud procul a Tholosa in longitudinem ducentis, in latitudinem vero septuaginta protendi leucis Sabellicus tradit, magna tendit festinatione. Quo dum pervenisset, concione convocata haec ad milites hortandos verba loquutus est:

CAPUT VII.

Res ipsa hortatur, commilitones et socii fortissimi, hodierno 1
die me apud vos verba facere. Ea enim tam ardua est et necessaria, ut, nisi velimus opes, facultates et salutem nostram in apertum discrimen ponere, summam eius curam nos habere oporteat. Nam, quod omnibus aetatis nostrae temporibus acrius, urgentius et 2
periculosius propositum fuit nobis negotium, quam nunc, ubi de regno, salute et vita nostra agitur? Non sum dubius de vestra, 3
milites optimi et socii fidissimi, in rebus gerendis fortitudine, animi constantia omniumque rerum adversarum incredibili patientia. Quod enim hisce oculis in multis dubiis et periculosis rebus intuitus sum, de eo vix me animo haesitare convenit. Nam praeter- 4
missis omnibus aliis vestris facinoribus superioribus annis magna fortitudine editis, quid rerum et arduarum et difficilium per Germaniam universam atque alias hostiles terras, per quas nobis armatis proficiscendum erat, non forti animo superavistis? Licet autem 5

id vestrapte virtute effeceritis, nonnullum tamen etiam mea praesentia et rerum omnium difficilium patiendarum societas stimulum virtutis edendae vobis addiderunt. Quid enim unquam curarum, 6
quid laboris, quid periculi, si quod nobis omnibus fortuna obtulerit, non pari animo vobiscum una subierim? Quae res me unquam prospera elatiorem fecerit? Non, ut ducem et imperatorem iure 7
optimo facere convenit, me vobis praetuli, sed in omni utriusque fortunae eventu aequa vobiscum sum usus conditione. Quarum re- 8
rum causa non arbitror opus esse neque tempus patitur multis me vos ad ea hortari, ad quae ipsa necessitas durum mortalium telum vos suapte natura impellere debet. Quam potens hostis, socii 9
fortissimi, nunc nobis obiectus sit, qua multitudine, quibus apparatibus, considerate. Quid opportunitatis commoditatisve hostes ad pugnandum habeant, omnium maxime videtis utpote intra regnum suum, in patria, in domesticis sedibus constituti. Contra, quo nos 10
prae illis simus numero, quam dubium sit in solo hostili manum conserere, quemque vestrum animo bene perpendere necesse est. Hodierno die vel victoria diis bene iuvantibus praeclara nobis acquirenda est, ni in servitutem morte acerbiorem devenire malimus, vel omnibus ad unum usque moriendum. Eo loci progressi sumus, 11
commilitones integerrimi, ut non, nisi virtute et armis hinc evadendi detur nobis potestas. A fronte hostes nos urgent, a dextra Ligeris flumen obstat, a laeva Rhodanus, post nos oppidani et reliqua Gallicanae gentis colluvies itinera, per quae venimus, arcta obsident atque praelii huius exitum praestolantur praedae nostrae inhiantes. Quod, si persuasum esset animo intra munimenta nos continere 12
et ordinibus nostris bene firmatis paulatim retrocedere, quid ea specie fugae gloriae nostrae iam multis maximisque victoriis partae esset indignius? quid inhonestius, quid nobis turpius? quid Scythico nomini universo orbi formidabili minus conveniens? quid maiorum nostrorum virtutibus et fortitudini magis adversum? Satius 13
semper habitum est et pulchrius cum dignitate gloriaque mori et maiorum vestrorum manes invisere, quam imbellium atque socordium more hostes nostros turpi fuga devitantes infamem et dedecore plenam agere vitam. Si forti animo constiterimus hostibus ob- 14
viam progredientes, sperandum est Martem belli peculiare gentis nostrae numen nobis propitium futurum. Si victoria manu et armis nostris parabitur, quid non utilitatis ex ea nobis sequuturum est? Spolia inprimis hostium nobis victoribus proponentur, tum regnum 15
Galliae opulentissimum et fertilissimum imperio nostro accedet, postremo gloria non minima res a nobis fortiter gestas abunde cumulabimus. Praeterea non ulli alii in tota Europa occurrent his deletis 16
hostes, qui totius orbis opes et imperium nobis sint remoraturi. Regnum Galliae imperio nostro Pannonico et Germanico, quae iugum nostrum iam subierunt, coniunctum quantam adferet opibus nostris accessionem? quantam vitae felicitatem? Quid a diis im- 17
mortalibus commodius, fortunatius et felicius nobis hoc dari potest? Nec vos terreat hostium multitudo, non alienae regionis igno-

ratio. Quid enim in hunc diem aliud egimus, quam quod in alieno solo multos reges, nationes et populos strenue devicerimus? Hostes, quos nunc intuemini, non sunt vobis incogniti. Horum robustiorem 18 validioremque partem iam olim vos, milites fortissimi, mecum una e sedibus suis expulistis. Vestram ipsi virtutem, fortitudinem et arma iam dudum experti sunt. Hos primo statim e sedibus nostris 19 paternis egressu primum sub Emerico, deinde sub Vinitario rege turpiter fugatos omni regno privavimus. Non sunt hi maioribus suis Gothis aut praestantiores aut fortiores. Omne robur Gothicum iam 20 pridem a nobis vestra virtute, milites fortissimi, est debilitatum, extinctum, deletum. Hae, quae adhuc supersunt, sub Theodorico duce Gothorum reliquiae non impetum, non arma, non vires expectabunt vestras, si modo viderint vos forti animo se aggressuros. Praeteritae cladis et calamitatis suae a maioribus primum nostris, 21 tum a vobis, milites optimi, acceptae memoria versatur eis ob oculos, quae non minimum animi et, si qua adhuc eis inest, virtutis ipsis adimet. De Aetio autem tacendum mihi potius apud vos est, 22 quam pauca dicendum. Ingenium, mores et conditio hominis iam pridem non aliter vobis, quam mihi comperta sunt, quippe qui expulsus ob ignaviam suam Italia sub imperium nostrum confugerit, in castris nostris longo satis tempore inter vos militaverit, nulla tamen unquam maiora, quam unus ex vobis minimus, ediderit virtutis facinora. Imo, si quid unquam fecit, id re vera praestitit vestra 23 confisus, munitus et animatus, socii, societate. Esto, sit in eo aliqua rei militaris scientia. Eam certe vestra doctrina didicit. Novit 24 vestra invicta arma, novit virtutem, novit in rebus gerendis prudentiam, fortitudinem, constantiam. Non sua vestris armis obtendet, si viderit nostro ductu vos sibi occursuros. Denique inducite in ani- 25 mum, quos ducat milites; nempe Gallos non tam armis quam ocio aptos, corporis quidem proceritate praestantes, sed laboris impatientes, post primum armorum concursum oblanguescere mox solitos. Quum igitur, socii et commilitones praestantissimi, hoc praelio de 26 honore, gloria, salute et vita omnium vestrum sit depugnandum, quum regnum amplissimum nobilissimumque hodierno die imperio nostro non difficulter adiungi possit, quum vobis cum eo hoste sit congrediendum, cuius maiores e sedibus suis facile expulistis atque etiam cum populis quieti potius, quam bello deditis manus sitis conserturi, quorum imperator non minus, quam quivis ex commilitonibus vestris, vobis sit cognitus, forti et constanti decet vos esse animo omniaque bona et felicia sperare. Deos in primis im- 27 mortales, quorum auspiciis in hunc locum salvi pervenistis, deinde me et ducem et commilitonem vestrum sequamini. Adiuvabunt dii fortunam vestram, augebunt vires, gloriam et opes. Ego vero nus- 28 quam sum vobis defuturus vobiscum una et victurus et moriturus. Me igitur proponite vobis ob oculos; perficiam, ut meum prius sanguine hostili tepefactum gladium, quam vestra arma cruore respersa conspicere possitis. Et vos mea facta imitemini ac, dum me 29 strenue rem gerentem videritis, alacri intrepidoque animo hostem

urgete, profligate, prosternite. Non magno periculo victoriam consequuturi sumus, si pari virtute unoque animo cum hostibus depugnaverimus.

His ab Athila recitatis tantus ardor pugnam poscentium est 30
excitatus, tanta undique omnium acclamatio facta, ut sua sponte
hostem primi invadere optaverint. Verum Athila praemissis aliqui- 31
bus saltem praecursoribus, qui tenuia primum futuri conflictus ederent praeludia, iustae pugnae committendae quaerit tempus et occasionem. Quam in solem iam declinantem consilio differt, ut, si pugna (sicuti praedictum ei fuerat) hostis superior esset futurus,
noctis advenientis praesidio sibi suisque prospicere posset. Dum 32
igitur sol in occasum vergeret, exercitum Athila in locum aptum deducit atque aciem ita instruit. Ostrogotthos cum parte sociorum in dextrum cornu collocat; iubet eis Valamirum regem praeesse. Sinistrum cornu ex Gepidis et parte reliqua sociorum efficit, quos
Ardaricum regem curare iubet. In acie alios regulos cum armatis 33
militibus locat. Ipse cum robore suorum prope signa consistit.
Exercitus postremam partem delecto iuventu is robore ex ordine 34
firmat, ne hostes multitudine freti a tergo circumvenire suos possent.
At ex alia parte Aetius cum Romanorum viribus sinistrum tenet 35
cornu, Theodoricus cum Wissegothis dextrum; Sangibanum regem Alanorum, quoniam iam pridem in suspicionem venerat ad Athilam deficiendi et urbem Aurelianam regiam suam in potestatem illius dedendi, in medium agmen includunt.

Ita instructo utrinque exercitu Athila die iam advesperascente 36
dat signum. Acies paulatim utrinque incedit. Ubi intra teli iactum
ventum est, Hunni hostes iaculis, quibus maxime possunt, eminus
feriunt, equos virosque passim sauciant. Hostes contra adproperant, 37
ut a iacoulorum sagittariorumque vulneribus liberati manu gladiisque, queis plurimum fidebant, praelium cominus conserant. Valamirus ex dextro cornu cum Ostrogothis Aetium Romanumque robur acrius urget nec minor Ardarici Gepidarum regis in Theodoricum et Wissegothos fit incursio. Posteaquam omnes utriusque partis vires honorem, fortunam, 38
vitam et salutem suam strenue defendentes caedibus atque sanguine
permistae fuissent, tanta utrinque infertur et accipitur strages, tam
atrox et cruenta, ut vix ulla hominum memoria atrocioris unquam
meminerit. Cadaveribus ita campus repletur, ut super occisorum 39
cadavera postremo fuerit pugnatum. Tanta vis sanguinis et hominum et equorum effusa, ut rivulum, qui in campi medio labebatur, torrentis instar sanguine subito auctum interfectorum cadavera devexisse autores tradiderint. Ad centum et octoginta millia hominum
utrinque ea in pugna desiderata esse dicuntur. Theodoricus rex 40
Trasimundi pater, dum equo circumvectus suos ad pugnam hortatur, deiectus per quempiam Hunnorum in terram a pugnantibus conculcatur. Sunt, qui dicant cuiusdam Audagis Ostrogothi telo
confixum exhalasse animam. Trasimundus Theodorici filius, dum 41
intempesta nocte errore viarum in Hunnorum incidisset castra,
necessitatem in virtutem vertens fortiter dimicat, quem capite sau-

cium equoque ob id delapsum sui aegre liberarunt. Aetius etiam clade
suorum turbatus vix ad suos errabundus redit. Variant scriptores, 12
Hunnine, an Romani fuerint superiores. Sunt, qui scripsere Aetianos
cognita Theodorici morte primos se fugae commisisse, nonnulli contra
inter utrumque diu aequo Marte pugnatum ac postremo Athilam caede
prostratum se in munimenta curruum falcatorum contulisse. Utcunque
sit, satis certe constat hanc pugnam extremo fere utriusque populi
periculo caede ac internecione comparatam.

CAPUT VIII.

Trasimundus Theodorici patris interitum acerbissime ferens 1
postero die invento inter caesorum cadavera patris corpore regali
pompa Hunnis id ex castris inspectantibus iusta primum facit, tum
castra Athilae cum copiarum suarum reliquiis dato tempore com-
modo invadere statuit mortemque patris Hunnorum sanguine vindi-
care. Athila vero amisso praecedentis diei pugna militum suorum 2
robore cognitaque per exploratores Trasimundi voluntate rebus suis
pene desperatis milites suos convocat, orat, monet et obtestatur,
postquam tot bella obiverint, magna ubique suae virtutis testimonia
ediderint, reges ac regna complurima cum summa virtutis ac for-
titudinis suae gloria devicerint huncque eundem Romanum hostem,
qui nunc castris eorum superbus instaret oppugnandis et quem he-
sterna die insigni affecerint clade; vires et animum resumerent, me-
minissent maiorum suaeque tot iam annos partae virtutis ac victoriae;
si hostes erumpere eosque invadere auderent, quum nulla alia spes 3
salutis adsit, gloriam laboribus ac periculis quaesitam manu, ferro
ac virtute alacres conservarent; hostium vires pristinas esse fractas, 4
unicam noctem non multum roboris atque animi addere illis potu-
isse; cum his certamen eis fore, quos hesterna die magna ex parte
debilitarint, fugarint et pecudum instar prostraverint; sibi ultra ani- 5
mum invictum, vires quoque ad extrema omnia fortiter perpetienda
magno iam rerum militarium usu corroboratas: rem eo tutiorem
esse, quod castris rebus omnibus belli abunde munitis, veluti for-
tissimo muro circumvallati essent; itaque nihil formidinis adesse,
fortunam eis futuram propitiam; se ducem sequerentur, in eum 6
quisque coniiceret oculos; eo die se facturum, ut aut hostium co-
pias Hunnorum virtute diis faventibus prosterneret aut more maio-
rum suorum, qui semper vincere soliti fuissent, non vinci, glorio-
sam eis inspectantibus mortem oppeteret.

Hac exhortatione recreatis parumper militibus ipse nihilo se- 7
cius fluctuans animo victoriam, si ingruant hostes, desperare, om-
nia timere, suis rebus, si quid adversi contingat, providere. Paucis, 8
quibus magis fidebat, convocatis docet rem Hunnicam in dubio
esse, se vereri hostium multitudinem, ne, si fortius constantiusque
institerint, suorum hesterno die debilitatam vim prosternant; at, quum 9
fortuna belli gloriam eventumque in sua habeat manu, se eam se-
quuturum ac una cum eis omni cura, labore, virtute enisurum, ne
hostes victoria potiantur; verum, si fortuna ita ferat (quae varia at- 10

que dubia est ac non melioribus semper favere solet), ut castra sua ab hostibus expugnentur, se malle suorum manu interire, quam in hostium devenire potestatem atque his tot iam rebus fortitudine eorum praeclare gestis elatum per summum dedecus esse ludibrio. Iubet ergo ex equorum ephippiis ac aliis impedimentis, quae tunc 11
ad manum erant, in unum coniectis tumulum parari. Amicis, quorum fides ei magis nota erat, caeteris remotis consilium suum clam aperit se, si hostes castris expugnatis superiores futuri sint, supra congestum ephippiorum cumulum ascensurum. Proinde monere eos, 12
hortari, orare, ut ignem illi subiiciant; elegisse se suorum magis opera mori, quam per summam ignominiam in hostium venire servitutem. His ita fieri atque etiam tubicinibus tuba canere iussis, ne 13
aliquam timoris a se concepti speciem hostibus praeberet, sed potius quo attentus esse et pugnam iterum reposcere velle videretur, hostium irruptionem insomnem ducens noctem praestolatur. Nec minus etiam socii et milites attenti promptiores erant ad omnia, quaecunque fortuna ferret, forti animo perferenda.

Dum et Hunni in castris et Trasimundus cum suis fluctuarent 14
animo consultarentque, quid esset commodius factu, Aetius consilii Trasimundi non ignarus verebatur, ne, si Hunnorum castris potirentur Gothi et res Trasimundi superiores forent, ferox iuvenis victoria recenti tumidus Hunnis deletis fidem violaret ac omnem militum suorum vim contra se ac Romanum populum verteret. Itaque 15
aliis remotis arbitris huiuscemodi orationem ad Trasimundum habuit: Foedus, amicitia et belli primum societas, quae mihi cum Theodorico patre intercesserat, dein tua virtus ac fortitudo, quam et antea in multis rebus cognovi et heri contra barbaros communes bonorum omnium hostes omnibus nobis circumspectantibus intrepido animo declarasti, me hortantur, rex Trasimunde, ut, quod tu ob aetatem iuvenilem animumque, licet suapte etiam natura industrium, tamen accepta recenti patris clade magis affectum, accensum ferocemve parum animadvertere nunc potes, id ego tibi in memoriam redigam. Hostes invadere, castra eorum expugnare, moliri, ad inter- 16
necionem usque delere, magnae sunt virtutis generosique animi indicia. Nec aliud ambos curare, conari agereque licet, quam accep- 17
tam iniuriam ferro vindicare, hostes, ubi adsit opportunitas, invadere, expugnare, delere, gloriam praeclaris factis, dum possis, augere. Verum, si vires nostras magna superioris pugnae attritas ca- 18
lamitate, si belli fortunam, quae non valentioribus audentioribusve, sed, quibus ex libidine sua favet, victoriam plerunque praestare solet, diligentius animo revolveris, si denique rerum tuarum privatarum amisso patre conditionem circumspexeris, difficile deliberatu est, quid melius utiliusque sit factu, nobisne nunc aliquid tentandum agendumve ac copiarum nostrarum reliquias et eas bello diuturno viribus exhaustas fortunae temere committendum, an in futurum belli usum conservandum. Hostes, etsi non minimum et ipsos 19
hesterna clade fractos, tamen praeter multa eorum facinora, quae in hunc diem ediderunt, etiam ex magna nostrorum ab eis accepta

strage pro comperto habemus esse feroces, fortes, stentos et extrema
prius pati omnia, quam vinci solitos. Si tibi est animus eos inva- 20
dere, aut vincent, quod dii avertant, aut ad unum omnes morientur.
Horum mors nequaquam nobis erit incruenta. Si contra vicerint, in
eam res nostrae communes redigentur difficultatem, ut de tuo ac Ro-
manorum imperio non minimum sit futurum timoris, discriminis ac
periculi. Magnae semper virtutis et consilii fuit res futuras praevi- 21
dere, pericula, quae evenire possunt, prudentia antevertere, consilium,
ut res poscit, pro tempore mutare atque, dum tempus adhuc est
possisque, omnia animo circumvolvere, ne postea re deplorata
frustra sapere consiliumve mutare velle videare. Equidem in tua 22
societate, amicitia, fide constanti permansurus sum animo atque,
sicuti fortem decet virum, est animus me omnibus periculis intre-
pidum obiicere, si quid gloriae ex temeritate comparari possit. Verum 23
maiorem nos non modo utilitatem, sed etiam laudem consequuturos
existimaverim, si hostibus iam fusis fugatisque ac in castra per
summum eorum dedecus hesterno die compulsis militum nostrorum
reliquias in futurum nostrum usum imperiique nostri tutelam in-
tegras conservaverimus. Ad haec, Trasimunde rex, privatis etiam re- 24
bus tuis (quae, ut integrae sint, pro amicitia ac societate nostra mutua
non minori mihi curae sunt, quam meae) maxime conducere arbitror,
si eas omnibus aliis praetuleris et salutem tuorum militum, qui ad-
huc supersunt quique tibi tuisque rebus usui esse poterunt, non
postremo loco habueris. Pater tuus te et Valamirum fratrem domi 25
nunc agentem regni sui reliquit haeredes. Frater regnandi cupidus
audita patris morte quid domi te absente moliatur, non satis com-
pertum habes. Pauci mortalium privatam necessitudinem, sanguinis
vinculum dominandi libidini praeponunt. Quod, si is rebus novis 26
animum intenderit cupiditateque imperandi victus imperium pater-
num te excluso sibi vendicaverit, opes domesticas manibus impli-
cuerit, popularium animos ad omnem fortunae flatum proclives be-
nevolentia, munificentia aliisque illecebris sibi conciliaverit, quid
tibi fortuna reliqui faciet? Quid supererit, nisi ut ius tuum a fratre 27
bello repetas? regni imperium opesque magno variantis fortunae
periculo armis vindices? Deletis autem aut saltem attritis in prae-
sentia militum tuorum viribus quid tibi praesidii fore aut quid domi
sperandum censes? Age igitur, Trasimunde, delibera, utra res sit 28
urgentior, fratrisne tui consiliis obviandi et regnum paternum in ius
tuum integris adhuc militibus vendicandi, an Hunnos dubio Marte
in re ancipiti invadendi. Si meam expetis sententiam, suadeo no- 29
strarum copiarum reliquias salvas conservari et te tuis potius rebus,
dum tempus est et potes, consulere, quam in novam belli fortunam
nos coniicere, ne, dum plura consequi velis, etiam a maioribus tuis
maximo labore parta turpiter amittas. Quando hostes adhuc super- 30
esse nos viderint, nihil adversum nos (ut arbitror) molientur novi.
At contra semper aliquid nobis integris versabitur illis ante oculos,
quod vereantur, formident, fugiant.

Hac Aetii simulata benevolentia orationeque Trasimundus fa- 31

cile persuasus dimisso consilio oppugnationis castrorum Athilae convocatis suis, qui patrem sequuti in eam venerant belli societatem, Tholosam revertitur. Cuius profectione et Aetius et hi populi, qui Romanis auxilio venerant, alius alio dilabuntur. Fama huius Catalau- 32
nicae pugnae tam atrocis ac cruentae universum iam pervagata fuerat orbem, cuius tertia etiam illa exercitus Athilae pars, quam ad Hispaniam missam fuisse ex relatione chronici supra memoravimus, non erat ignara. Quare veriti milites iram Athilae, quem supra, quam dici potest, timebant, nunquam ad eum in Pannoniam revertere, ne moram supplicio luerent. Verum post ipsius ex campis Cata- 33
launicis profectionem circa eius campi confinia consedisse ac a ducibus seu praefectis, qui Hungarice hispani appellantur (ut ab aliis, qui de eorum scripserunt origine, dissentiam), regno Hispaniae (sicuti chronicon refert, penes quod fides sit) nomen inditum esse a nostris, nescio, quo argumento, putatur, quamvis Trogus Pompeius eam, quae antea Iberia ab Iberio diceretur, ab Hispali Hispaniam cognominatam esse tradat. Aetius non multo post tempore Valen- 34
tiniani imperatoris iussu Romae interficitur, sive quod in suspicionem affectatae tyrannidis venerit, sive potius, quod accusatus fuerit praebuisse caussam, quod Athila, qui cum omnibus copiis post pugnam memoratam modico negotio deleri poterat, manus Romanorum evaserit.

CAPUT IX.

Posteaquam Aetium et Trasimundum aliosque hostes Athila 1
alium alio dilapsum cognovit, supra, quam par erat, superbire coepit ratus Romanorum exercitum in posterum non sibi obviam venire ausurum. Dixisse igitur fertur superbum illud dictum stellas prae 2
se cadere, terram tremere, se malleum esse universi orbis. Dein in id arrogantiae processit, ut iusserit, sicuti eremita dixerat, flagellum dei adiici suo titulo ac eo epitheto se et nominari et in literas referri. Profectus igitur ad locum pugnae aliquot ibi dies, ut milites quiete 3
ac ocio reficerentur, commoratus est, ubi sacrificio Marti pro more gentis suae facto votisque pluribus prosperis successibus rerum feliciter gerendarum solenniter nuncupatis exercitum suum ad reliquas Galliae civitates maiore, quam prius, terrore invadendas ducit. Primum 4
igitur omnium Trecassiorum urbem (quae et Trecae et interdum Troia dicitur) in finibus Senonum ad flumen Sequanam sitam venit. Callimachus refert eum primum ad Tungros profectum eorumque metropolim expugnasse ac cives eius sine ullo sexus et aetatis discrimine ad unum omnes occidisse. Verum, si quis recte perpendat, 5
Tungri sunt Eburonum populi non longe a flumine Mosa in terra Leodiensi longe ab hoc itinere Athilae dissiti. Superflui igitur laboris fuisset a Tungris Trecas eum revertisse, sicuti Callimachus dicit.

Huius igitur Troiae antistes divus Lupus habitu indutus pon- 6
tificali cum multitudine cleri Athilae advenienti fit obvius. Is facta salutatione interrogat Athilam, quisnam esset, qui tot regibus devictis, nationibus ac populis prostratis, urbibus eversis cuncta vi

subderet. Cui Athila, Ego, inquit, sum rex Hunnorum, flagellum 7
dei. Qua voce Lupus territus, Quis, inquit, mortalium flagello dei
mei resistet, quominus in omnes, quos volet, saeviat? Veni igitur,
ut dicis, dei mei flagellum; quolibet proficiscare, omnia tibi, ut
dei ministro, me non repugnante parebunt. Iubet inde portas urbis 8
reserari ac Athilam (frenum equi honoris causa manu tenens) summa
veneratione introducit. Qui sive humanitate ductus episcopi sive dei
voluntate sine ullius caede et detrimento per urbem mediam cum
omnibus suis copiis progressus altera urbis parte egreditur. Chro- 9
nicon Hungaricum tradit eum hinc Tholosam urbem versus profec-
tum eamque in fidem et amicitiam eius deditam. Sed id vix veri-
simile esse videtur. Tholosa enim per id tempus Trasimundi regia
ad fines Galliae Narbonensis non procul a radicibus Pyrenaei montis
ad ripam Garumnae fluvii sita est; civitas adhuc opulenta populo,
archiepiscopo, academia ac negociatorum commerciis inclyta. Quod 10
iter a proposito Athilae longe fuit alienum. Constituerat enim ex-
pugnatis quibusdam Galliae oppidis ad boream vergentibus Sicam-
briam regiam suam reverti.

Dum igitur relicta Treca ad Rhemos exercitum duceret, ma- 11
gnum suae clementiae in itinere edidit testimonium. Nam, quum ple-
rosque Trecae urbis accolas metu perterritos cum coniugibus et
liberis ad sylvas vicinas salutis suae tuendae causa profugientes
in itinere conspexisset, eos bono animo et intrepido esse iussos
domum abire permisit. Inter quos adducta est ad eum per milites 12
ex ripa fluminis, in quod se metu fere exanimata praecipitare vole-
bat, quaedam mulier, quae parvula filiola, quo sinus ulnaeque faci-
liore gravarentur onere, collo fasciis alligata ac duabus minoribus
iumento, quod agebat, impositis, deinde aliis quoque septem per
annorum seriem minoribus circumsepta erat filiabus. Movit Athilam 13
miserae mulieris ad pedes eius lachrymosa provolutio ac tot pro-
lium infantium numerus iussamque assurgere manibus propriis erexit.
Quam amplis deinde donis, ut filiolas nutriret et maritis collocaret,
donatam domum redire iubet.

Paulo post Athila Rhemenses obsidet concepta iam dudum in 14
eos ira, quod, dum ad campum Catalaunicum (ut supra memora-
tum est) properaret, magna calamitate multisque malis milites affe-
cerant. Horum igitur memor vastata igne ac ferro universa Rhemen- 15
sibus adiacente regione civitatemque eorum dura cingens obsidione
machinis bellicis moenia eius quati, diruere, demoliri ita, ut tum
ob telorum densitatem tormentorumque frequentes iaculationes, tum
ob instantis multitudinis crebram oppugnationem nemo mortalium
ad moenia defendenda accedere auderet. Quo factum est, ut cives 16
non modo formidare, trepidare, sed omnia malorum genera, quae
in obsessa solent esse civitate, tolerare, pati; mulieres, pueri et
puellae lachrymari, eiulare, voces ad coelum tollere; alii volventes
animo victoris crudelitatem, quam ex conscientia factorum antea in
Athilanos a se perpetratorum adversum se futuram metuebant,
omnes vias et occasiones pertentare, ut periculum vitare possent.

Erat ea tempestate eius urbis episcopus beatus Nicasius, vir 17
iusticia, morum integritate, sanctimonia insignis et ob fidem vitae-
que puritatem deo acceptus. Hic cum Eutropia sorore, virgine a 18
teneris annis deo dicata (quae non minus pulchritudine corporis,
quam omnibus animi dotibus insignis erat) toto hoc, quo obsi-
debantur, tempore assiduis vacabant orationibus, ut dei iram, cuius
gratia Athilam malis cives afficere arbitrabantur, placarent atque
eius misericordiam supplicibus omnibus praesentem consequeren-
tur. Ad hunc, quum Athila obsidioni urbis vehementius intenderet 19
nullaque spes esset reliqua salutis, cives, pars altera ex pectore
trahentes suspiria, pars lachrymabundi humiles confugiunt. Quem
eo tempore orantem his verbis aggrediuntur: Nisi compertum no- 20
bis esset, vir optime, deum optimum maximum id gratiae ac mi-
sericordiae tibi impartitum esse, ut tuae apud illum preces ob vitae
integritatem sint gratissima, atque hanc omnem calamitatem propter
nostra scelera nobis ab eo immissam ac, dum in meliorem vivendi
ordinem nos converterimus, hostes a cervicibus rursus nostris deum
aut depulsurum aut placabiliores humanioresque redditurum, non
esset nobis integrum deliberatu, utrum ad te confugiendum vel ex
desperatione (qua malis iam quamplurimis crudeliter afflicti vehe-
menter detinemur) aliter rebus nostris providendum nobis esset.
Verum, quum et dei clementiam praeter omnes res mortalium omni 21
tempore aestimaverimus et te ex signis compluribus, pater optime,
comprehenderimus illi esse acceptum, non dubitavimus ad te ve-
nire, cuius consilio patrociniove et vivere et mori iam dudum con-
stituimus. Quae sit hostium multitudo, vides, quae in omnes cru- 22
delitas, et tu et nos scimus, cuius multa circumiacentium urbium
cadavera aperto sunt documento. Tantae barbarorum multitudini 23
diutius propriis viribus resistere nequaquam possimus; aut sponte
nos dedere hostibus oportet et fidem, quam professi sumus, mor-
tis terrore abnegare, aut, ne vim eorum tyrannidemque experiamur,
voluntaria est nobis mors consciscenda. Alterum horum perpetien- 24
dum erit, ni aut divinitus adiuti aut tuis, pater optime, consiliis
spes aliqua propulsandi a nobis periculi ob oculos proposita fuerit.
Honestas quidem ipsa induceret, ut ad extremum spiritus halitum 25
hosti tam crudeli resistentes a constantia, fortitudine, fide nostra
metu mortis non avocaremur, si quid spei esset conservandae urbis.
Neque etiam ignari sumus fore nobis utilius haec obsidionis mala 26
ad breve aliquod tempus perferre devorareque, ut pace postea et
libertate cum coniugibus et liberis frueremur optata, quam per so-
cordiam et ignaviam hostibus non repugnando in foedam nos con-
iicere eamque perpetuam servitutem. Sed quid remedii huic malo 27
adhibendum, quid longis iam laboribus, vigiliis, inedia defatigatis
faciendum nobis sit, ut mortem immaturam vitemus, non plane con-
stat, utpote quibus iam praeter spiritum longa inquietudine haud
bene spirantem et ossa cutemque diuturna fame corrugatam parum
decoris (ut vides) humani superesse videatur. Tu, quem dei volun- 28
tatis non omnino expertem esse credimus, consule, utrum ex malis

nobis impendentibus deligere debeamus. Si dederimus hosti civitatem, facultates, salutem vitamque omnium nostrum in discrimen haud dubium dederimus. Contra, si vi expugnati fuerimus, quae 29
non malorum genera nos manebunt? Quibus cruciatuum generibus, quorum haec tua plebecula impatiens est, in nos miseros a barbaris saevitum non fuerit? Esto, sint nostrum aliqui malorum cruci- 30
atusve patientes, at longe plures sunt, qui humana victi imbecillitate horrore vique tormenti deum abnegent, fidem professam deserant, animae suae detrimentum faciant. Tuum igitur est, vir dei, 31
nobis his malis vehementer afflictis providere, gregi tuo tremebundo consulere, remedium, si quod potes, pro tempore adhibere, ne ab eo, quod honestum est et pium, malis coacti praesentibus avocemur atque a dei optimi maximi voluntate desciscamus.

CAPUT X.

Ad haec Nicasius iam ante exitum rerum oraculo edoctus ita 1
paucis respondet: Tametsi non multum, ut vos censetis, cives optimi, inesse mihi video virtutis, quicquid tamen est dei donorum in me collocatum, id omne acceptum refero illius in me charitatis et misericordiae beneficio, qui non meis meritis, sed propria sua benignitate me suae gratiae, suorum inaestimabilium bonorum participem esse voluit, cui, quicquid in me est, totum adscribo. Nec 2
est, cur vos, quod dei donum est, meis tribuatis viribus; ille vim, potentiam bonitatemque suam in me exerit. Mihi eius spiritui, afflatui et voluntati est parendum. Cuius si praeceptis observandis 3
toto, quo possumus, animo incubuerimus promissaque vitae coelestis spe indubitata expectaverimus, nihil in rebus his mundanis tam grave nobis obvenerit, quod non in illius fide constanter perferre possimus, nihil tam arduum, tam hostile, quod non pervium toleratuque sit nobis facillimum. Multitudinem tyrannidemque bar- 4
barorum, Remenses viri, iam pridem et novi et extrema vicinorum populorum calamitate exploratam habeo, quae certe ipsa ex dei procedit permissione. Athila vobis obesse vimque suam contra vos 5
exercere non posset, nisi nostris delictis deum in nos concitassemus, apud quem nunc statutum est, quod mihi illius oraculo iam diu satis constat, urbem hanc in manus hostium postremo venturam vosque mecum una tyrannidi barbarorum destinatos, ut delicta carnis, quibus sumus obnoxii, momentaneis his nunc cruciatibus expiantes ad visionem divinam coelestemque vitam laeti advolemus atque illius beatae simus participes. Agite igitur, fratres charissimi, 6
quicquid vos manebit calamitatis atque periculi, constanti et forti perferte animo. Me sequamini et pastorem et patrem vestrum, me oculis vestris proponite, ut vos spiritu salvi sitis; me primum obiiciam periculis. Brevia erunt, quae a barbaris patiemur, tormenta. Illa coelestia, quae deus nomen suum in fide et charitate professis 7
ab initio constituit, praemia, ut sensibus incomprehensibilia sunt humanis, ita felicia, immortalia ac nullis unquam seculis finienda. Non igitur vos corporis terreat aut malum aut cruciatus, qui in- 8

itium est, si constantes in fide fueritis, vitae perpetuae. Nec licet his, qui vos persequuntur, malum precari, sed imitati Christi Iesu et doctrinam et factum pro inimicis vestris, ut ad veram dei cognitionem rectamque vitam revertantur, mecum una iugiter deprecemini.

Nihilo secius Eutropia etiam virgo cives ad ea forti animo 9
perferenda, quae iamiam adversa imminerent, intrepide hortatur; sese, licet foeminam, tamen ante eorum oculos constanti ingenio dei auxilio declaraturam; hostes, etiamsi corpori tormenta intendant, non menti tamen constantiam ac in bono perseverantiam adimere posse. His divorum admonitionibus timore paulisper cives 10
deposito quaevis adversa alacriore iam animo sustinenda expectabant.

Interea Hunni superatis moenibus aliisque deiectis munimen- 11
tis urbem subito ingrediuntur; fit ubique militum armatorum rabidus discursus. Hi obvios trucidare, puberes et impuberes necare, non aetati, non sexui parcere. Nicasius et Eutropia virgo tantae ho- 12
stium truculentiae ducti admiratione ad aedem beatae virginis, quam beatus hic episcopus extruxerat, hymnum canentes laeti profugiunt eo consilio, ut, ubi rebus prosperis preces fuderant, ibi in extremis quoque animam deo redderent. Hunni rabie perciti ad aedem 13
etiam ipsam concurrere, quos Nicasius manibus silentium indicans paucis alloquitur: Video ego, milites fortissimi, vos a verorum fortiumque militum sanguine longe degeneravisse ac mansuetudinis, quae plerisque etiam feris animantibus natura inesse solet, omnino esse immemores. Cuius si vel minimam partem aliquam ha- 14
beretis, non certe victoria, quae victis saepe parcere et in solos superbos saevire consuevit, insolesceretis nec eo crudelitatis progrederemini, ut omnia ferro delere, quam in usum vestrum, conservare malletis, quasi alterius, non vestrae iam ditionis sint, quae nunc non viribus magis vestris, quam dei permissione consequuti estis. Prae subito furore haud animadvertitis et populum omnem 15
in servitutem et opes aliaque omnia nostra in vestrum ornamentum potita urbe cessisse; populus Christianus supplex ad genua vestra accidit salutem a vobis precaturus. Caeterum vos obvium 16
quemque, sicuti pecora, trucidatis praeter omnem pietatis humanae morem. Si nullum vestrae ferociae modum statuitis, sed pietatis et commodorum vestrorum obliti crudelitate omnia implere vultis, in me, qui illorum sum pastor, vestram convertite, milites, rabiem. A 17
pernicie strageque horum vestras continete manus; parcite humilibus supplicibusque, superbos et contumaces, qui vobis resistunt, prosternite. Me praesulem, si crudelitas magis, quam pietas vos 18
excitat, me, inquam, qui vestram hactenus remoratus sum victoriam, invadite, petite, conficite; meam, quatenus deo ita visum est, eripite animam; his meis ovibus nullum commeritis malum vitam donate.

Quum his hortatibus Hunnorum ferocia nihil leniretur, sed in 19
omnes etiam in aedem sacram congregatos saevirent, divus Nicasius preces lachrymis plenas ad deum, ut antea, fundere coepit atque, ubi illud Davidicum carmen, Anima mea adhaesit pavimento, psalleret, mox a quodam satrapa gladio educto invasus capite trun-

catur. Cuius caput a membro etiam avulsum divinum canticum non 20
intermisit, sed illud protulit psalmistae: Vivifica me, domine, secundum verbum tuum. Hoc modo beatus hic vir inter divinas laudes in coetum martyrum gloriosus advolavit. Post haec Hunnorum 21
milites sine modo furentes Eutropiae virginis pulchritudine capti vim illi intentare, quae constans in pudicitiae iam pridem deo devotae custodia ad Nicasii interfectorem conversa, Crudelissime omnium, inquit, quos terra genuit, barbarorum, an ignoras, in quem 22
dei virum innocentia ac sanctitate vitae insignem manus tuas sacrilegas extenderis, quem nihil mali merentem impie vita privaris? merito te ob tale facinus sceleratum iustum dei manebit iudicium. Non satis tibi ducis te virum plurima sanctitate conspicuum in 23
templo dei trucidasse, sed et me tuae spurcissimae libidini inservire cogis? Caeterum deus virtutis et pudicitiae vindex hoc tuum facinus temerarium impiumve me ministra inultum non patietur.

His dictis Eutropia in capillos tyranni involat arreptisque magna 24
vi illius faucibus oculos mox evellit. Alii milites, qui fortitudinis huius foeminae spectatores aderant, commilitonis sui periculo commoti Eutropiam virginem et alios, qui in templo erant, Christianos furibundi invadunt et ad unum omnes trucidant. Fuere scriptores, 25
qui tradiderunt Hunnos, posteaquam in omnes ubique tum in templo, tum in aliis urbis locis repertos truculenter satis saevissent atque praedae ac direptioni urbis animum adiecissent, terrore coelesti subito fuisse perculsos; vidisse in aere coelestes acies dimicare, 26
audisse sonum fragoremque terribilem templum edere; quibus signis exanimatos praeda abstinuisse et ad diversa quemque loca extra urbem tremebundos fugisse; urbem deinde diu vacuam stetisse tot martyrum caede consecratam; faces ardentes supra civitatis 27
verticem saepe ac diu visas; cantus coelestes auditos; cives plerosque, qui metu tyrannorum aufugerant, visis tot signis divinisque prodigiis ac cognita hostium abitione ad urbem tandem revertisse et Nicasii ac Eutropiae caeterorumque martyrum corpora magnis lamentis atque lachrymis sepulturae tradidisse.

CAPUT XI.

Dum haec ad Remensem urbem ita, ut memoravimus aguntur, 1
interea Athila quendam exercitus sui ducem Gywlam vel (ut quidam volunt) Iulium nomine cum parte copiarum misit, qui Coloniam Agrippinam, civitatem tunc quoque (ut nunc) insignem et amplam obsideret. Is, ut iussum erat, urbem forti cinxit obsidione. Ea tempestate Aethereus Anglorum regis filius pulchritudine, virtute ac moribus divae Ursulae Britanniae regis filiae unigenitae ardentissime commotus eius per legatos apud patrem ambire coepit connubium. Quem, quum sollicitus esset, quid responsi daret legatis, 3
Ursula anxium moestumque admonet, ut deposita animi sollicitudine Aethereo eam despondeat; oraculo enim se accepisse, ne id detrectatura esset ea lege matrimonium, ut triennium illi consummando concederetur, quo peregrinationem a se votam interea exequi

posset, hanc autem eam esse, ut urbem Romanam comitata de-
cem millibus virginum inviseret; proinde ipse et Aethereus procus 4
curarent pari opera decem spectatae pudicitiae virgines conquirere,
harum singulis mille et sibi quoque totidem subdere, quarum spec-
tata esset omnium probitas ac pudicitia. Legati accepto a patre 5
Ursulae hoc responso laeti redeunt. Aethereus et Britanniae rex Ur-
sulae pater concsripto, ut designatum erat, virginum agmine eas
Ursulae sodalitio adiungunt.

Quae accepta hac nobili societate atque comparatis undecim 6
magnis navibus aliisque rebus in peregrinationis usum necessariis
ex Britannia ad ostia Rheni, ubi nunc Hollandiae pars est, appli-
cuit. Unde adverso flumine Coloniam cum magno civium applausu 7
ac laeticia, ex Colonia Basileam pervenit. Ibi relictis navibus cum
aliis impedimentis pedestri itinere Romam proficiscitur. Quae tan- 8
dem sanctorum reliquiis et sacris omnibus locis, ut eius erat votum,
Romae perlustratis Basileam revertitur Cyriaco papa, cuius alii
(praeter scriptorem historiae ecclesiasticae, quod sciam) autores
nullam faciunt mentionem, eam summo ubique honore prosequente.
Conscensa igitur ad Basileam navi secundo Rheni flumine Colo- 9
niam devehitur. Quae egressa in continentem nihilque hostile, sed
omnia (ut antea) tuta esse arbitrata, ubi urbi appropinquare coepit,
mox ab Hunnis undique invaditur atque cum omni societatis suae
turma crudelissime trucidatur. Ita sanctissima virgo suo, Aetherei 10
sponsi (qui accepto Ursulae reditu cum matre et sorore Florentina
nonnullisque aliis episcopis Coloniam usque ei obviam venerat)
atque Cyriaci pontificis ac caeterarum virginum sanguine pudici-
tiam suam Christo domino virginitatis vero sponso consecravit. Ha-
rum reliquiis illustris est Colonia. Inter scriptores non satis convenit 11
de huius necis tempore. Verum, quoniam chronica nostra hoc tempus
virginum trucidatarum tradunt, creditu non absurdum est per id
tempus, quo Athila erat in Gallia, Ursulam cum suis virginibus
fuisse ab Hunnis necatam.

Athila Remensibus expugnatis pervagata Gallia ac Flandria 12
direpta depopulataque in Thuringiam proficiscitur. Hic volens de-
clarare se universae Galliae totiusque occidentis esse victorem so-
lennem (ut vocant) curiam in Isinaca urbe se celebraturum indixit.
Plerique vicinorum regum ac populorum partim metu, partim, quod 13
eum eiusque apparatum videre optabant, eo confluxere, quos Athila
magnis oneratos donis liberos remittit. Erant plerique populi circa 14
littora maris Britannici et Balthici sive Germanici degentes, quibus
non adhuc magnae erat formidini Athilae potentia. Igitur, ut ii quo-
que eius arma sentirent, delegit aliquot duces, qui cum exercitu
Normannos, Caletes, Morinos, Tungros, Phrisos, Cimbros et Pru-
thenos invadant omniaque (ni eius pareant imperio) ferro igneque
vastent. Hi omnes adventu hostium timore perculsi populi Hun- 15
norum imperium ultro accepere. Athila interim certior factus Roma-
nos ac Gothos conscribere milites, comparare exercitum, bellum
contra se renovare, proinde veritus, ne ipse suique tot laboribus,

tot bellis gestis, victoriis varia fortuna partis vehementer defatigati circumveniri ab hostibus possent, relictis Galliis Sicambriam, regiam in Hungaria suam, ubi Budam fratrem reliquerat, revertitur.

CAPUT XII.

Occupato Athila in bello Gallico Buda frater, sive quod de 1
victoria vitaque Athilae dubius erat, sive potius, quod regnum duos
vix admittere soleat, imperium Hungaricum excluso fratre occu-
pare in animum induxit, quod hac ex re e libidine sua domi ad-
ministrare coepit. Cuius rei indicium erat, quod et arcem illam, 2
quam Athila prope Sicambriam urbem aedificari a se coeptam ius-
serat Athilam nominari, ipse spreta fratris voluntate e suo nomine
vocavit Budam. His nominibus Buda insimulatus, quum Athila 3
propter auctam ipsius potentiam manum ei palam iniicere non au-
deret, insidiis adortum capit trucidatque ac cadaver in Danubium,
ad cuius ripam Sicambria et Buda sedes regis Hungariae sita est,
detrudi iubet. Sunt autores, qui Budam ante pugnam Catalaunicam 4
interfectum esse scriptum reliquerint. Ego tamen sequutus chro-
nicon Hungaricum post eam pugnam id factum esse crediderim.
Buda interfecto iubet edicto, ut eam quisque arcem ex Athilae no- 5
mine appellet Budae memoria abolita. Id tamen (ut varia sunt ho-
minum ingenia ad prohibitas res magis tendentium) non fuit a pleris-
que observatum. Hungari eam arcem et urbem etiam in praesentia 6
Budam, Teutones vero nunc Eczelburg, id est, arcem Athilae, nunc
a furnis calcis, quae olim ex lapidibus illic coquebatur, Offen vo-
cant. Qua ex re satis constat Alemanos, veluti iure belli ab Hunga- 7
ris quaesitos ea quoque tempestate Athilae fuisse dicto audientiores.
Post necem Budae rebus omnibus Hungariae pacatis et in ordinem
redactis Athila quinque annos Sicambriae commoratus est.

Interea temporis milites ipsius rapinis praedisve assueti My- 8
siam, Macedoniam, Achaiam, Thessaliam et Thraciam infestare, prae-
dari, diripere, quin et urbes quoque ac populos Hungariae Athilae
subditos damno afficere, vexare adeo, ut coloni plerique impati-
entes tantarum direptionum derelictis pecoribus et armentis suis
impetrata primum ab Athila ad id facultate alio migrare coacti fu-
erint ad ea, quisque quae maluerunt, loca. Ipse vero Athila, ut rerum 9
quae in omnibus orbis regionibus agerentur, esset conscius, quatuor
veredariorum constituit stationes, primam in Colonia Agrippina,
alteram in Iadera civitate Dalmatiae, tertiam in Lithvania, quartam
ad fluvium Tanaim. Ex his locis singula totius fere orbis acta per 10
mutatos in locis suis nuncios Sicambriam ad eum deferebantur.
Contra ipse quoque illorum quoslibet voluntatis suae certiores fa-
ciebat. His ita compositis tum opportunitatem rei contra hostes a se 11
bene gerendae observabat, tum, quid illi adversum se aggredi vel-
lent, satis exploratum in tempore habebat.

CAPUT XIII.

Sicambriam urbem, cuius frequentem fecimus mentionem, tra- 1
dunt scriptores Gallos Pannonia ductu Antenoris Troiani vastata in
sui nominis memoriam olim condidisse et in multos annos habi-
tasse. Hanc Athila, posteaquam Hunni Pannonias (ut supra docu- 2
imus) subegissent, instauravit regiamque sibi delegit. Quae sive a
Sicambris populis Germaniae Rheno finitimae, quam olim Galli
infestabant, sive alia ex causa Sicambria vocata sit, non satis com-
pertum habeo. Hic licet corpore Athila quietem agere statuisset, gloriae 3
tamen atque ambitionis cupidus volvebat in dies animo imperium
propagare, regnum regno adiicere, populos quosvis suae ditionis
facere, gloriam bello augere. Simul memoria repetens stragem suo- 4
rum Catalaunicam ea volvere animo, meditari, ad id totis viribus
incumbere, omnes vias artesque quaerere, quibus iniuriam illius
cladis vindicare posset. Inter haec accepto de Aetii morte nuncio 5
ratus ad ea, quae animo iamdudum conceperat, commode exequen-
da divinitus datam esse occasionem atque neminem iam super-
stitem esse, qui suis viribus par esse posset, statuit primo quo-
que tempore Italiam invadere, ut ea devicta pugnae ad campum
Catalaunicum funestae memoriam nova virtute novaque belli gloria
aboleret. Igitur convocatis regibus ac populis, qui per id tempus 6
signa sua sequebantur, huiusmodi verbis disseruit: Quando vir-
tutem vestram, animi ad res bellicas alacritatem, duces optimi mi-
litesque strenui, mecum ipse considero simulque quot populos, na-
tiones, provincias, regna virtute vestra, viribus, societate fretus meo
imperio subiecerim, quantum denique victoriae ubique terrarum
pepererim, non videtur esse operae precium me vos multis ad ea,
quae vestrapte natura, consilio ac virtute ducimini, aut hortari aut
excitare, quandoquidem, ad omnia strenua ac militaria facinora, quae
fortes decent viros, intrepide subeunda quam propensi ab initio
fueritis, re ipsa compertum habeo. Enitendum modo est ac summis 7
contendendum viribus, ut rei bene gerendae occasionem, quae rerum
omnium apud mortales prima habetur, dum occurrerit, haud gravatim
capessamus, quam si amplexabimur, socii optimi, res omnis demum
in promptu nobis erit. Si contra neglexerimus, quid non laboris, 8
curae ac sollicitudinis ante nobis subeundum erit, quam ea se nobis
rursus offerat? Romanorum vires imperiumque quam magnum, am-
plum, magnificum et memorabile fuerit universum complectens ter-
rarum orbem, iampridem vobis satis est perspectum. Id quo latius 9
illustrius et excellentius antea fuerat, eo maiori nunc obnoxium est
praecipitio, ruinae, periculo. Si enim diligentius conditionem illo-
rum consideraveritis, quid non detrimenti atque generis malorum
sive fato nostra hac tempestate passi sunt sive viribus eorum iam
consenescentibus ac debilitatis? Vandali, Visigotthi, Britanni, Ger- 10
mani Romanorum imperium sua ex libidine invadentes sunt nobis
documento, quam sint illorum vires nunc tenues, attritae, exhaustae.
Africam, Iberiam, Galliae non minimam partem, Britanniam, quae 11

omnia Romano parebant imperio, nunc hostis habet. Pannonia,
Mysia, Thracia, Macedonia, Illyria ac aliae orientis regiones virtute,
milites, vestra Romanis ademptae nostro parent imperio. Quid igitur 12
iam aliud restat, quam ut Italiam omnium regionum, quas dixi
principem invadentes nostrae subiiciamus ditioni? quod, ni occa-
sionem divinitus vobis datam, milites, e manibus ignave turpiter-
que emittere malueritis, factu erit vobis haud difficile. Nam quae 13
oppida, urbes, qui denique populi, quae provinciae, quae regna
arma vestra non timuerunt, senserunt, experta sunt? Quid unquam
visum est, milites fortissimi, vobis tam difficile, quod vestra virtus,
fortitudo, in rebus omnibus constantia non facile reddiderit? Quod, 14
si in regnis et provinciis, quas memoravi, suo imperio antea pa-
rentibus resistere vestris Romani armis, virtuti ac potentiae haud-
quaquam potuerunt, quid tunc contra vos viribus integros, temporis
quiete corroboratos, multorum sociorum accessione auctos Romanum
imperium iam fractum posse censebitis? Pugna Catalaunica (ne 15
nostram etiam cladem, dum mala commemoro aliena, silentio prae-
teream) licet aliquam sociorum et commilitonum nostrorum stragem
Aetii olim virtute intulerit, si tamen hostium caesorum numerum
nostris amissis contuleritis, ludum iocumque, quae passi sumus,
prae his iudicabitis. Nec hanc etiam pugnae praeteritae, si quam 16
accepistis, calamitatem ignaviae atque socordiae vestrae expensam
debeo. Quotus enim quisque vestrum fuit, cuius manus sanguine
hostium non maduerit vitamque hostis non eripuerit? Verum, quic- 17
quid nobis illatum fuit malorum, id evenit Martis vario eventu ac
fortunae, quae viros fortes et ignavos sine discrimine detrimento
plerunque afficere solet. Nunc igitur, socii et milites strenui, tempus 18
est, ut hanc quoque olim acceptam cladem nova virtute vindicemus.
Quod fiet proculdubio, ni ignavia, torpore occasioni praesenti deesse,
quam eam prosequi, malueritis. Animus meus earum, quae sequu- 19
turae sunt, rerum vates mihi praesagit Italiam brevi non magno
labore nostram futuram. Qua in potestatem nostram redacta quid
residui in Europa erit, quod non facile iugum vestrum admittere
cogatur? Agite igitur, socii optimi, ut alia in hunc diem omnia, 20
ita hanc quoque expeditionem Italicam alacri capessite animo. Non
desitis fortunae, opibus et dignitati vestrae. Quae usui sunt bello,
nunc nunc parate. Mecum una prosequimini fortunam. Equidem non 21
labore, non periculo, non aliis, quae in bello accidere solent, rebus
incommodis a vestris opibus augendis, ab amicitia societateque
colenda, salute vestra tuenda avocabor. Omnia vobiscum una subire, 22
imo ante vos experiri volo, me modo, fortunam atque occasionem,
quae solae res in bello primae habentur, sequamini. Faciam diis
volentibus, ut Italiae non minima pars vestro ante pateat imperio,
quam Romanorum vires vobis occurrant.

Hac oratione Athilae principum ac militum animi concitati ita 23
fuere, ut magna acclamatum sit laeticia se non modo ad Italiam
cum eo profecturos, sed in omnem orbis partem, quam Athila iu-
beat, illius signa intrepide sequuturos iussaque facturos. Coacto 24

igitur Athila suo et Ostrogothorum, Erulorum, Turcilingorum, Quadorum, Rugorum quos ab initio in societate belli habuerat, exercitu, quum itineri accinctus equum conscenderet, dicitur corvus ab oriente advolans humero eius dextro insedisse ac deinde tantisper in sublime volasse, dum visum omnium effugeret. Hoc auspicio 25
laetus Athila mox iter capit primumque Stiriam, Carinthiam, Illyriam et Dalmatiam invadit. Quibus depopulatis Salonaque ac Spalato urbibus incensis ad littora Adriatici maris pervenit; dein Tra- 26
gurium, Scardonam, Sibinicum, Iaderam, Novam Segniam, Potentiam, Polam, Tergestum, Capiferiam urbes opulentissimas iuxta ac fortissimas diruit et in praedam suorum vertit. Nonnullae Valenti- 27
niani imperatoris copiae in ipso Italiae ingressu fauces viarum obsederant conati Athilam a coeptis avertere, dum tamen eo properaret, subito omnes metu distrahuntur. Annus, quo invasit Athila 28
Italiam, erat a natali domini quadringentesimus quinquagesimus; Eusebius unum, Sigebertus vero quatuor his superaddit. Veneti, 29
quos rege Pylemene ad Troiam amisso ad intimum Adriatici maris sinum duce Antenore venisse scriptores memoriae mandarunt, ea tempestate circa Adriam habitabant. Hi cum plerisque Aquileiae 30
civibus aliisque vicinarum urbium accolis metu Athilae sedibus suis relictis primum in insulam quandam Aquileiae urbi vicinam, dein rati eo quoque Athilae vim penetraturam in aliam insulam a maris aestibus tutiorem, cui Rivo Alto nomen est, migrarunt. Quo in loco hanc, quae nunc Venetiae dicitur, urbem aedificare coeperunt.

CAPUT XIV.

Dirutis memoratis civitatibus, dum Athila Aquileiam versus 1
pergeret, occurrit ei a sinu Tergestino Romanorum satis validus exercitus. Quo prostrato deletoque Aquileiam urbem obsidet. Ea 2
licet difficilis esset expugnatu, partim quod eius accolae audito iam pridem Athilae adventu eam omnibus rebus ad sustinendam obsidionem et se defendendum necessariis satis muniverant, partim quod praesidium numerosum firmumque eo collocaverant, tamen, ne unica haec regis tam magnanimi potentiam viresque non persentisceret, voluit extrema quaeque sub ea experiri. Igitur admotis 3
illius oppugnationi machinis bellicis, quas complures secum ferre erat solitus, quum res nunquam ex animi sententia cederet, triennium in obsidione frustra absumit. Interea omnis circumquaque ager depopulatur. Quae res fecit, ut in castris Athilae inopia com- 4
meatuum non parum sit laboratum. Eaque ex causa tam homines, quam iumenta insuetis vesci cogebantur alimentis varia morborum genera inferentibus. Eo iam deventum erat, ut Athilam obsidionis 5
eius urbis taederet et militum animi tum malis diuturnae obsidionis, tum penuria rerum necessariarum vehementer fuerint consternati et corpora admodum debilitata. Iam passim murmur et fremitus in 6
excercitu audiebatur militum indignantium se non cum hominibus iusto Marte, sed lapidibus et munimentis vix expugnabilibus rem habere, cuius laboris et tolerantiae nec gloriam nec praemium ul-

lum esset futurum; et honestius et utilius sibi esse Romam caput 7
Italiae statim proficisci, si obsidio urbium Athilam delectaret, qua
expugnata caeterarum civitatum deditio facile sequeretur atque totius
Italiae opes Hunnis accederent; ad haec perpetua gloria res eorum
gestas capta Roma abunde cumularet.

Has militum vociferationes promiscuas tametsi Athila iniquo 8
ferret animo, ne tamen unicae huius urbis fortitudo gloriam suam
multis rebus praeclare gestis per totum orbem iam florentem ob-
fuscaret, militum animos partim spe iamiam potiundae urbis, partim
pollicitationibus magnificis demulcendo sibique reconciliando statuit
tantisper in obsidione perseverare, donec eius urbis quoquo modo
potiretur. Quod ut citius fieri posset, neque suo ipsius periculo 9
parcebat obequitans frequenter urbis muros, ut, ubi illius expugnan-
dae facilior esset insultus, experiretur. Itaque, quum quadam die
taciturnitas obsessorum et muri solitudo invitasset eum propius
moenia accedere, armati quidam hostium per cuniculos et cloacas
subterraneas sub moenibus ad Hunnos fallendos productas clan-
culum erumpentes subito eum invasere. Athila, quum neque in fuga 10
nec in alio suorum praesidio, praeterquam sui ipsius robore et vir-
tute spes ulla salutis esset, ne inultus moreretur, intrepide eos ag-
greditur duobusque interfectis, quum reliqui visa eius audacia non
iam temere eum invaderent, salvus ad suos remeavit. Dicunt mili- 11
tes hos urbanos retulisse tandem suis ex huius, quicunque fuerit
(ignorabant enim Athilam esse), militis oculis scintillas veluti igne-
as, quum eos fremebundus circumspiceret, emicuisse. Altero dein 12
die, dum multis frustra tentatis oppugnationibus Athila anxius et
curarum plenus more suo moenia urbis circumequitaret, vidit cico-
niam avem in summo cuiusdam turris culmine nidum habere, ex
quo avis ipsa pullos adhuc implumes unum post alium in arun-
dinetum urbi vicinum rostro deferret.

Cuius rei spectaculo quum Athila diutius cogitabundus con- 13
stitisset, tandem ad suos dixisse fertur avem ruinae civitatis iam-
iam imminentis praesciam pullis suis praeparare securitatem, nam,
quod in arundinetum cum pullis migraret, portendere urbem pro-
pediem in manus suas deventurum velleque ciconiam mali futuri
praesciam pullos suos, ne simul cum urbe incendio aut ruina paulo
post absumerentur, liberos esse. Hoc igitur augurio admonitus Athila 14
urbis ipsius oppugnationi eo ipso die vehementius instare coepit.
Verum, quum res nunc quoque, ut antea, minus successisset, po-
stero die iubet ephippia quarti cuiusque equi ex omni suo exercitu
conferri et in fossam urbis ex ea parte, qua murus erat debilior,
coniici incendive, ut murus ardore ignis confectus aut sponte desi-
deret aut tormentis postea petitus ruinam daret faciliorem. Interim 15
Athila instrumentis ad quatiendum murum compositis militibusque
ad invadendam urbem admonitis expectabat tempus, quo sopito
incendio moenia aggrederetur. Consilium hoc eum non fefellit, nam
murus ignis vehementia consumptus sponte ruinam dedisse traditur.
Athila visa hac capiundae urbis opportunitate milites hortatur, ut 16

pro virtute quisque sua adniteretur moenia superare urbemque ingredi. Hi magna alacritate id capessentes negotii in vulnera ac armatos muri defensores ruunt.

Nec armati cives nec ullum periculum eos ab incoeptis ar- 17
cebant, sed intrepido impavidoque animo moenia superare quisque contendebat. Nihilo minore animo obsessi quoque stationem quisque suam, urbem, se suamque, coniugum ac liberorum vitam defendere non ignari nullam aliam superesse spem vitae, quam si hostem longo iam labore malisque defatigatum repellere ac urbem vi virtuteque conservare possent. Quod Athila videns vulneribus 18
confectos ad castra referri et fessis novos succedere iubet. Ipse (quae res etiam ignavos milites in re quoque dubia accendere strenuosque facere solet) spectator cuiusque facinoris atque virtutis adesse, quemque nomine compellare, hortari, rogare, ne a coepto desistant, maximum, quod fuerit, oneris ac periculi iam superatum, exiguum adhuc superesse urbis potiundae laborem, cuius magna cuilibet apud se parata essent praemia. Itaque milites summa vi 19
moenibus annixi trium horarum spatio urbem capiunt, diripiunt, iuvenes, viros, senes passim trucidant, non aetati, non sexui parcunt paucis, quibus decor ac pulchritudo inerat, foeminis exceptis. Omnia, quae in urbe erant, in praedam dantur militum. Ultra triginta 20
septem millia hominum traduntur illic caesa. Erat tum in civitate foemina non religione et pudicitia minus, quam genere nobilis, forma vero tam insignis, ut omnes alias eius urbis foeminas facile praecelleret. Huic nomen Digna fuit. Haec, quum audiret Hunnos in 21
omnes ad mortem usque saevire, praeterquam foeminas pulchritudine praestantes, in superiorem aedium suarum partem confugit statuens prius mori, si quis Hunnorum vim sibi intentare vellet, quam pudicitiam amittere. Igitur, dum quispiam militum decore 22
ipsius captus eamque insequutus, violare conaretur, Digna in fluvium Natisonem sub aedes defluentem se praecipitavit. Ita pudicissima foemina militis spurcissimi turpem libidinem morte sua evasit.

CAPUT XV.

Diruta funditus Aquileia atque sub ea obsidione dedito Tar- 1
visio ac Verona hac autore Diatherico, illo autem Helmundo praesule atque etiam Utino per Athilam extructo, ut memoriam sui nominis, si Aquileia potiri non posset, apud posteros relinqueret, Concordiam versus digreditur. Quo in itinere pulcherrimum fortis 2
animi dedit specimen. Circulatores plerique vici cuiusdam rustici robusta aetate ac viribus spe lucelli consequendi ad Athilam veniunt inter gladiatorum antificiosos flexus mira arte agiliter saltitantes. Aliis spectatoribus in risum hoc spectaculo solutis Athila turpe 3
ducebat tam valida corpora militiae potius, quam huiuscemodi quaestui circulatorio et rebus inaniter ludicris convenientia ociosam atque inutilem agere vitam. Iubet igitur eos armari ac se quoque armis indutum equo insilientem imitari. Quod quum propter insue- 4
tudinem praestare non possent et neque arcum tendere neque nervo

sagittam adhibere scirent, corpora superfluo prius per ocium pastu saginata eo usque tenui cibo extenuari mandat, ut postea abstinentia et exercitatione optima rerum omnium magistra edocti utramque rem facile praestiterint. Quorum tandem opera et fortitudine in pluribus est usus rebus militaribus.

Igitur, dum Concordiam pervenit, eam cum internecione sep- 5
tem et decem millium Hunnorum, cuius moenia primus ipse inscendit, expugnavit diripuitque. Caeteris item vicinis urbibus partim vi 6
captis dirutisque, partim deditis Athila primum Patavium (ubi Marulli Calabri poetae carmen de laudibus suis conscriptum in ignem coniici iussit, quia licentia poetica originem Athilae ad deos retulerat, arbitratus impudentem esse impudentiam, dum mortales homines se a diis immortalibus traxisse originem confingerent), deinde Vincentiam, Mantuam, Brixiam, Bergamum, Cremonam, Ferrariam urbes munitas et opulentas vi cepit et in praedam concessit
militum. Quibus tamen omnibus tum propter magnificentiam aedi- 7
ficiorum, tum amicorum retentus precibus pepercit, ne igne absumerentur. Unicam Brixiam ob vulnus in porta urbis, dum acrius illi expugnandae instaret, sibi inflictum una cum civibus omnibus eo inclusis incendio funditus delere decreverat, sed ab amicis ab
eo quoque proposito fuit revocatus. In Vicentiae quoque oppugna- 8
tione egregium fortitudinis suae testimonium praebuit. Quum enim milites propter obsessorum vim et aquae profunditatem propius moenia accedere cunctarentur, ipse in fossam, qua urbs ambitur, praecipiti cursu desiliens per aquam papillarum tenus altam ad
murum evasit. Quo ipsius facto excitati milites concitante eos vere- 9
cundia certatim murum superare contendunt nonnullis eorum altitudine aquae submersis.

Hinc Ravennam versus castra movit. Erat ea tempestate huius 10
civitatis praesul Ioannes haereseos Arrianae defensor acerrimus. Is opibus iam olim congestis praedives non minus in aemulationem, quam contumeliam Romani pontificis duodecim crearat episcopos Arrianae haereseos professores, ut eorum opera et adminiculo haeresim suam latius in Italia diffunderet. Hic Athilae Ravennam ap- 11
propinquanti cum multitudine cleri ac civium obviam profectus eius indignationem supplex deprecatur pollicitus se effecturum, ut, si Athila ipsius professionem susciperet eosque, qui Romanae ecclesiae dicto audientes sunt, persequeretur, brevi Romana urbe totaque Italia Africaque sine labore ac periculo potiri posset. Ad quem 12
Athila humilibus quidem parcere se ait et promissa, si ea praestare posset, libenter expectaturum. Tamen, ne interea, inquit, posteritas civium tuorum pacto potius, quam vi urbem hanc a me devictam esse glorietur, omnes urbis portas mox detrahi volo ac per certam moeniorum partem dirutam equorumque nostrorum ungulis attritam cum universo exercitu nostro armatus civitatem ipsam victoris instar ingredi. Ioannes episcopus civesque accepta Athilae voluntate 13
portis urbis resignatis laeti iussa faciunt ac regem gratulantes in urbem deducunt. In ea cum omnibus suis copiis Athila tanto tem-

pore, quo voluit, est commoratus.

Ticino deinde, quae nunc Papia dicitur, Placentia, Parma et Mutina direptis Mediolanum vi expugnat, cives trucidat, urbem diripit soloque aequat. Militibus hinc eo loci, ubi Mincius Padum 15
ingreditur, in stativa ductis deliberare secum coepit, an exercitum suum Romam duceret, casu Alarici regis Gothorum permotus, quem ea urbe ante se expugnata atque direpta inopinato fato defunctum fuisse acceperat. Igitur, dum animo dubius in castris haesitaret, 16
proceres Romani veriti, ne Athila ad urbis Romanae oppugnationem properaret, Leonem pontificem adeunt, orant, obtestantur, ad Athilam supplex proficiscatur, iram eius deprecetur, salutem Romanis petat; se sperare id eum non gravatim ab illo impetraturum, qui Ioanni Ravennae urbis archipraesuli ad pedes eius provoluto veniam largitus fuerit. Leo tum Romanorum precibus, tum periculo 17
ecclesiae suae inductus constituit se id facturum. Tradit Sabellicus Leonem ad hoc inductum Valentiniani imperatoris hortatu.

Dum haec ita aguntur, interea Athila, ne laboribus ac rebus 18
semper agendis assueti milites ocio et quiete torpescerent, quendam Zowar exercitus sui ducem deligit, qui parte copiarum accepta Apuliam, Calabriam et ea Italiae loca, quae mari adiacent Adriatico, depopulatur. Sub cuius tandem cum ingenti praeda reditum 19
Leo pontifex, uti constituerat, cum magno cleri agmine sacris ornati vestimentis ac (ut Sabellico placet) altero consulum magnaque parte senatus Romani ad regem venit, qui ab Athila obviam ei prodeunte ingenti acceptus honore haec verba habuisse dicitur: Magna olim, rex invictissime, Romanorum totius orbis victorum erat 20
gloria; Romani dare victis veniam, supplices in fidem amicitiamque recipere, victoriam misericordia lenire solebant. Quibus rebus im- 21
perium opesque augebant, famam vero ac gloriam nominis sui immortalem faciebant. Hae, dum usus ferebat, Romanorum erant artes, mores, ingenia. Caeterum mutata rerum vice, quod nobis eri- 22
puit, id tibi, rex Athila, nunc fortuna tribuit. Quantum nobis detractum est, tantum tuae virtuti accrevit gloriae. Multa licet oppida, 23
nationes et regna deviceris, praeclaros rerum a te gestarum triumphos egeris, omnes fere orbis terrarum regiones virtutis ac fortitudinis tuae fama iam occupaverit, non tamen haec omnia maiorem laudem, si rem animo bene perpendas, tribuere possunt, quam dies haec hodierna apud omnem posteritatem est tibi comparatura. Po- 24
pulus Romanus olim totius mundi dominus, a quo multi antea populi ac reges iura legesque petebant, nunc tua ductus potentia supplex ad te venit pacem a te petiturus et omnes, quas velis, sponte subiturus pacis conditiones, modo tua nos dignos putes misericordia, fide, amicitia. Non necesse est te armis Romanam ur- 25
bem et ea, quae illi parent, tibi vendicare. Sua sponte tua est Roma, nos tui sumus; tua omnia sunt, quae nostra. Omnia ex tua fac libidine, fruere tuis legibus; singula tuo nutui parebunt, verbis pro armis utere. Age igitur, rex potentissime, qui in hunc diem alios 26
vincere solitus es, nunc tu te vince, animum offensum reprime, iram

contine, qua forte contra nos severior esse constitueras. Nulla re propius immortalitati accedere potes deoque esse simillimus, quam parcere humilibus et misericordiam petentibus impartiri.

Post haec consul et Romanus senatus ad genua Athilae lachry- 27
mabundi accidunt. Quibus Athila assurgere bonoque animo esse iussis veniam pacemque se daturum ac eos in fidem, societatem et amicitiam recepturum affirmat. Accepta igitur conditione tributi 28
a populo Romano deinceps Athilae quotannis pendendi Leo pontifex omnia, quae petivit voluitque, liberaliter ab eo impetravit. Di- 29
missis pontifice et Romanis senatoribus duces, qui sub eo militabant, interrogavere Athilam, cuius rei causa praeter solitum tam facilis et indulgens erga Romanos fuisset atque lenibus illorum motus lachrymis ac precibus tam certam e manibus emisisset victoriam totiusque Europae imperium in omnibus rebus pontificis consentiens voluntati? Quibus Athila respondit ita factum et con- 30
venisse et oportuisse; satis esse supplices ad se venisse pedibus suis totius mundi dominos prostratos; Romam, quae universo orbi olim imperitabat, se victam fateri suo nunc subditam imperio; tri- 31
butum Romanos imperatum sponte suscepisse omniaque iussa facturos; quod vero omnium maximum esset, se supra caput Leonis, qui ad eum venerat, vidisse hominem habitu augustiore, veneranda canicie, stricto ense assistentem sibique, ni illius votis pareret, mortem minitantem. Hinc militum iocosum dictum vulgo iactabatur 32
Athilam plus timere ferarum immanium sola nomina, quam exercitum armatum, qui in Gallia contra Lupum, in Italia vero adversus Leonem suo non usus fuisset imperio.

CAPUT XVI.

Athila Ravennam reversus Ioannem archipraesulem in vin- 1
cula coniicit acceptisque ab eo ac a civibus Ravennatibus sexaginta marcarum auri millibus ipsum et eos, qui Arriana infecti erant haeresi, trucidari iubet, sive quod Leo pontifex id ab eo impetraverit, sive potius, quod aliquid eo absente sinistri contra ipsum moliti fuerint. Post haec convocatis exercitus sui regibus ac duci- 2
bus breviter enumerat, quae bella ipsorum virtute confecerit, quam potentes reges, populos, urbes, oppida ditionis suae fecerit, quibus laboribus ac periculis, ut illis gloriam immortalem pareret, saepe se commiserit; nunc se in animum reduxisse omnes mortales eo 3
laborare, ut ultra perennem gloriam quieti etiam corporis non diu spirantis, quantum liceret, post duros diuturnosque labores bene consultum esse velint; proinde, si nomen laudemque a se eis hac- 4
tenus partam satis sibi ducerent, se constituisse in Hungariam destinatam suae et ipsorum quietis sedem post tanti temporis moram et labores reverti; satis iam opum, satis triumphi gloriaeque, satis ornamenti apud omnes gentes esse partum; decere quietem 5
laborum comitem esse hisque illam succedere, posteaquam omnia cum summa laude peregerint; omnes homines exantlatis laboribus ocium amplecti solitos, praemium scilicet curarum, sollicitudinum ac

inquietudinum anteactarum. Comprobato a ducibus consilio Athila in Pannoniam redire properat.

Valentiniano imperatori, cuius supra meminimus, soror erat 6
Honoria, quae clam fratre misso nuncio Athilam orat, ut, si id non dedignaretur matrimonium, se duceret uxorem. Quae si ei videretur, 7
aut rediret aut ad Valentinianum fratrem mitteret legatum suum connubium Athilae deposcentem. Italiae fines rex iam excesserat, quum nuncius ad eum pervenit. Licet autem gratum ei erat de tam 8
honesto insignis pudicitiae ac nobilitatis feminae matrimonio delatum ad se nuncium, maximi tamen tum laboris esse, tum etiam dedecoris arbitratus est exercitum suum iam ab Italia amotum et tot itineribus lassum et qui Pannoniae iam propior esset, quam Italiae, unius mulierculae amore reducere. Itaque misso legato ad 9
Valentinianum Honoriam sororem cum imperii parte sibi deposcit, quod ni faceret, reversurum se mox ad Italiam et illum universo imperio privaturum sororisque vi potiturum minatur. Dimisso nuncio ipsemet in Pannoniam regreditur.

Dum Sicambriae in regia sua vitam degeret, etsi (ut supra 10
dictum est) ocium agere post tot bella ex animi sui sententia iam confecta statuerat, non facile tamen fit, ut animus ad aliquid semper agendum natus, bello instructus, magnarum rerum cupidus quiescere possit. Non contentus igitur parta tot iam rebus gestis gloria 11
contra id, quod prius militibus approbantibus decreverat, cogitabat dies ac noctes, ut devicta iam Europa vires suas in Asiam, Assyriam, Aegyptum converteret arbitratus parum laudis imperiique a se quaesitum, nisi illae quoque orbis regiones fortitudinem et arma eius experirentur eique parerent. Tradit Iornandis Athilam per id 12
tempus misisse legatos ad Martianum orientis imperatorem, qui dicerent, ni Theodosii praecessoris promissa sibi servaret, se illius imperium vastaturum. Hoc autem Athilam eo animo fecisse dicit, 13
ne Trasimundus Visigothorum rex conatus ipsius praescire posset, nam paulo post Alanos populos, quos trans Ligerim flumen sub Wissegothorum imperio habitasse testatur, Athila subito invasisset, quem Trasimundus nihilo secius praeveniens iusto praelio devictum coegisset in Pannoniam turpiter refugere. Regem Athilam in Gal- 14
liam secundo revertisse et cladem a Trasimundo accepisse non satis memini me apud alios comperisse, re vera neque chronico neque aliis autoribus alioqui reticentibus tam longam eius profectionem et dedecus acceptum, si quid certi de eo constitisset.

Dum igitur animo, ut dictum est, fluctuaret, impotentia amoris 15
victus non expectato Valentiniani responso de Honoriae connubio filiam regis Bactrianorum Mycoltham nomine uxorem ducit virginem omnibus corporis dotibus illustrem cunctisque aliis feminis pulchriorem, in cuius nuptiis regali apparatu celebratis, quum solito largius se vino ingurgitasset, nocte insequenti illam comprimens venereis rebus plus aequo dat operam. Quibus utrisque, vino sci- 16
licet et venere immodica etiam adolescentibus periculosis, nedum seni, quum sanguis in universo corpore efferbuisset, naris profluvio,

dum altiore tenetur somno, suffocatur anno domini (ut chronicon
testatur Hungaricum) quadringentesimo quadragesimo quinto; non,
ut Eusebius ac Sigebertus tradunt, hic quadringentesimo quinqua-
gesimo quinto, ille quinquagesimo quarto. Mycoltha sanguinis in 17
sinum suum profluentis calore experrecta maritum attrectare excita-
reve coepit. Cuius corpus quum exangue frigidumque tactu sensisset
ac nihil in eo spiritus inesse, inopinato malo territa eos, qui ad
fores cubiculi accubabant, magno eiulatu acclamat. Qui excitati 18
reginae clamore facibusque incensis aedes Athilae interiores ingressi
illum animam cum sanguine iam dudum efflasse comperiunt. Fit
mox clamor omnium, ululatus ad coelum usque tollitur. Sicambria
tota lamentis excitatur; quisque tanti regis mortem magno singultu
deflentes. Fama de eius morte per totam Hungariam brevi divul- 19
gata lugubrem quisque induit vestem moeroreque ita omnia com-
plentur loca, ut diu ab omnibus laeticiae signis fuerit temperatum.
Factis igitur more Hunnico iustis ludisque circensium more eque- 20
stribus circa cadaver celebratis atque cantu funebri, qui laudes et
res regis gestas continebat, solenniter decantato tandem Athila re-
gali apparatu sepelitur in maiorum suorum sepulchro in valle Keazo
prope lapideam columnam, ubi Keme, Kewe, Cadica et Bela, ut
supra memoratum est, fuerant tumulati. Nocte illa, qua Athila ex- 21
tinctus fuerat, Martianus imperator Constantinopolitanus vidisse di-
citur in somnis arcum Athilae fractum esse. Memorant Athilam eo
die natum fuisse, quo C. Iulium Caesarem, et Idibus Martiis mortuum,
quibus ille in Capitolio tribus ac viginti confossus erat vulneribus.

Vixit autem, ut nostra tradunt chronica, centum et viginti 22
quatuor annos. Sabellicus dicit eum mortuum anno aetatis quinqua-
gesimo sexto, quod non videtur esse verisimile, nam satis constat
Athilam inter alios Hunnorum duces unum fuisse ea tempestate,
qua Hunni expulerunt Gotthos e sedibus suis et postea ingressi
sunt Hungariam. Non absurdum autem est creditu eum id quoque 23
temporis aetatem egisse virilem, qui scilicet e tot millibus hominum
a gentibus ad bellum natis ob animi consilium, rei bellicae peri-
tiam et corporis vigorem in numerum aliorum ducum fuerit delec-
tus. Ingressi autem fuerunt Hungari Pannoniam, ut supra memora- 24
tum est, anno a nato Christo trecentesimo septuagesimo tertio, post
quem annum electus fuit in regem Athila vigesimo octavo anno,
qui erat annus domini quadringentesimus primus, a quo regna-
vit quadraginta quatuor annos. Si Athila secundum Sabellicum anno 25
aetatis suae quinquagesimo sexto mortem obiisset, quum electus
fuit in regem, agebat annum duodecimum, quod vix est rationi
consonum. Nam non facile a populo bellicoso ac multis rebus ge- 26
stis tunc quoque claro rex impubis et non modo rerum publicarum,
sed ne suarum quoque privatarum administrandarum peritus maxime
in initio regni armis acquirendi et strepitu bellorum fuisset admis-
sus. Secundum igitur supputationem praedictam, quae veritati magis 27
est conformis, dum creatus fuerat Athila in regem, septuagesimum
secundum agebat aetatis annum. Hinc ergo liquet eum eo tempo- 28

ris, quo Hunni Scythia egressi fuere, natum fuisse quinquagesimum secundum annum. Quae omnia si in numerum redigas, Athilam vixisse comperies centum et viginti quatuor, non, ut Sabellicus tradit, quinquaginta sex annos. Praeterea tam Eusebius, quam Sigi- 29
bertus in suis chronicis concordant ab Hunnis profligatos esse Gotthos et Hunnicum imperium inceptum esse anno nati domini trecentesimo octuagesimo, mortuum autem Athilam quadringentesimo quinquagesimo quarto. Quorum temporum annos si contule- 30
ris, cognosces Athilae vitam fuisse septuaginta quatuor annorum, etiamsi tum fuisset natus, quum Hunni Gotthos regno privarant. Sic Sabellicus convinci etiam horum duorum testimonio potest. Quod autem tot annos exegisse traditum sit, id nihil mirum videri potest. Nam inter multos, quos nunc consulto praetereo, etiam Emenricus 31
Visigotthorum rex, de quo in initio operis mentionem feci, tantundem fere annorum transegit. Praeterea parcius mirabimur annorum 32
vitae Athilae multitudinem, si in animum induxerimus Hunnos quoque anni tempus potuisse breviori spacio computare, sicuti Arcades trium, Chares et Acarnanes sex, Aegyptii in initio quatuor mensium habuerunt annum, aut quod Athila ob naturae fortitudinem bonamque corporis temperaturam tantum annorum solarium, ut alii, facile conficere potuerit.

Plurima mortem eius prodigia praesignavere. Nuptiali eius 33
die equus, quo in praeliis et optimo et sibi fidissimo utebatur, nullo signo praecedentis morbi apparente subito est mortuus. Mycoltha 34
etiam sponsa ingressura cubiculum tam fortiter pedem dextrum limini impegit, ut ex dolore nimio aliquamdiu desidere fuerit coacta. Cometes ante eius mortem viginti circiter noctibus ad ortum solis vernum visus. Ad hoc traditur quaedam mulier fanatica equo in- 35
vecta Athilae redeunti ex Italia in Pannoniam sub traiectum Lyci amnis inter Rhetos et Vindelicos defluentis ter frementi voce acclamavisse: Retro, Athila.

CAPUT XVII.

Mortuo rege Athila duo legitimi et animo et virtute nothis 1
filiis praestantiores (alter Chaba ex Herriche Honorii Graecorum imperatoris filia, alter Aladaricus ex matre Kreinheiltz filia ducis Bavariae geniti) de imperio certabant. Detricus a Verona, qui nep- 2
tem Athilae ex sorore uxorem duxisse dicitur, cuius scilicet supra mentionem fecimus, princeps militiae Athilae cum reliquis Germanorum et aliarum exterarum nationum principibus, qui Athilam sequebantur, Aladarico adhaeserat utpote ex genere nationis suae Alemannicae orto. Chaba maiorem Hunnorum partem sibi faven- 3
tem habebat. Hi duo regii iuvenes dominandi libidine perciti quisque imperium Hunnicum pro se occupare studebat. Comparato igi- 4
tur utrinque magno exercitu in campum Sicambricum castra posuere, ubi acie collata tanta commissa est caedes, ut Danubii aqua a Sicambria ad Potentianam usque urbem mixta sanguine defluxisse tradatur. Duravit haec pugna ad quintumdecimum diem nec 5

finis eius ante fuit, quam maior pars externorum militum ab Hunnis trucidata fuerit. Aladaricus in praelio cecidit. Victor primum 6
Chaba postremo Detrici Veronensis arte victus cum sexaginta suis fratribus nothis Athilae ac vigintiquinque millibus Hunnorum, qui ex clade adhuc supererant, in Graeciam ad Honorium imperatorem avunculum suum confugit. Apud quem tredecim annos com- 7
moratus derelicta ea regni parte, quae ex materna haereditate eum attingebat, in Scythiam itinere unius fere anni reversus est. Non- 8
dum Bendegicz avus ipsius paternus vita (ut chronicon tradit, penes quod fides sit) defunctus erat. Cuius extremo iam senio confecti consilio duxit uxorem ex gente Corosmanorum Scythiae vicina ortam. Ex qua duos suscepit filios Edemen et Ed. Qui me- 9
mor fertilitatis regni Hungariae saepe filios admonebat, ut, dum per aetatem liceret, Hungariam repeterent. Cuius admonitionem posteri 10
eorum postea observarunt, nam a morte Athilae post annum circiter trecentesimum Hunni ex Scythia magno exercitu reversi Hungariam secundo occupavere. Is Chaba non ita diu in Scythia vi- 11
vens fato concessit. Non desunt autores, qui a chronico dissentientes de Hunnico post Athilae mortem in Pannonia imperio usque Mauricii imperatoris fere tempora meminerint. Non tamen est in- 12
stituti nostri historiam ultra Athilae mortem in praesentia producere, quam sequentem his, qui me plus et ocii et virium habent, relinquo describendam.

CAPUT XVIII.

Post pugnam in agro Sicambrico commissam praeter exerci- 1
tum Chabae, qui in Graeciam erat profectus, tria millia Hunnorum caedem elapsa in campo Czegled, ubi nunc oppidum est eius nominis, consedere. Hi metuentes Detrici et aliorum Germanorum 2
potentiam in eam Daciae partem, quae nostra hac tempestate Transsylvania sive Septem castra (a septem ducibus Hunnicis, qui in secundo ingressu Hunnorum in Pannoniam castra sua eo loci fixerant) denominantur, celeri itinere appulere. Qui, ut facilius per- 3
suaderent se non esse Hunnorum reliquias, mutato agnomine Hunnico se Siculos denominarunt. Hic populus etiam nunc a nostris putantur vetustiores esse Hunnorum, qui in Hungaria remanserint. Sunt in eum hi aucti iam numerum, ut, dum bellum eis ingruat, 4
facile ad quinquaginta et amplius armatorum hominum millia conscribere in campumque educere possint. Gravatim patiuntur suam 5
familiam domumque externae nationis misceri connubio; moribus, ritibus ac legibus aliorum Hungarorum sunt longe dissimiles. Ad 6
explicandam animi sui sententiam ac voluntatem quotidianam praeter usum papyri et atramenti aut characteris aliarum linguarum notas quasdam bacillis ligneis incidunt aliquid inter se significantes, quibus ita incisis apud amicos ac vicinos vice nuncii epistolaeve utuntur.

Hi Siculi in hunc diem credunt Chabam non revertisse in 7
Scythiam, sed in Graecia peremptum. Cuius rei gratia in hominem ex aliquo loco remoto nunquam rediturum hoc utuntur dicterio

eum tunc reversurum, dum Chaba ex Graecia in Hungariam. Vo- 8
lunt se omnes haberi ingenuos, utpote qui sint veterum Hunno-
rum reliquiae. Nec abs re ea uti curant libertatis praerogativa, ne-
minem enim patiuntur inter se libertate esse superiorem. Minimus
eorum eam habet inter eos immunitatem, quam maximus. Sunt di- 9
visi in comitatus Czik, Gyrgyo, Kysdy, Orbay et alios aliquot, quos
ipsi regiones vel potius sedes vocant, in quibus ex his, qui sunt
vetustioris familiae, ditiores ac potentiores constituunt sibi capita-
neos sive patronos, quos lingua sua lofysekel vocant; hos obser-
vant, verentur atque colunt. Si quid contra eos excitatum fuerit 10
hostile, horum signa sequuntur. Hi potestatem summam habent
eos iudicandi, convocandi et de summa totius rei cum eis una de-
cernendi. Tributum nemini nec regi nec aliis pendunt, praeterquam 11
quod, quum rex coronatur Hungariae aut uxorem ducit aut nasci-
tur ei filius, viritim singulos conferunt regi boves. Verum id quo-
que non sine magna difficultate plerunque faciunt, quod mea aetate
non sine patris mei incommodo evenit. Nam, quum Paulus Tho- 12
moreus iussu Uladislai regis sub tempore nativitatis Ludovici filii
ad hos boves Siculos stigmate notandos (cauterio enim boves regi
donati inuruntur) cum aliquanto militum numero missus fuisset at-
que in auxilium sedecim equites Stephanus Olahus pater meus mi-
misset, Paulus ipse repetens boves regi pro more gentis debitos,
quum illi se ea in re difficiles praeberent et contra eum tenderent,
coactus est cum illis manum conserere, qui fortioribus multitudine
Siculis cum suis copiis, quas ad numerum quingentorum et ultra
equitum habebat, victus prostratusque viginti sauciatus fuit (si sa-
tis memini) vulneribus. Quo in conflictu multi suorum militum fu- 13
erunt occisi; maior pars rebus spoliati aegre domum recurrerunt,
inter quos patris etiam mei equites tres occubuere reliquis semila-
ceris redeuntibus.

Poena hac in suos delinquentes utuntur: Quum quempiam eo- 14
rum contra rempublicam bonumque commune aliquid perpetrasse
aut contra libertatem, quam ultra res omnes mortalium merito aesti-
mant, clam moliri senserint aut ad edictum eorum publicum contra
hostes non assurgere compareréque viderint, direptis ipsius facul-
tatibus ac rebus domum funditus demoliuntur et, si eius copiam
habere possunt, occidunt. Parent post regem nemini, quam vaywo- 15
dae Transsylvano, quem rex comitem eorum, dum hanc vaywoda-
tus confert aut mutat praefecturam, semper creat. Verum huic quo-
que saepe sunt inobedientes. Superioribus annis, quum dicto Ioan- 16
nis a Zapolya (tunc comitis Scepusiensis et vaywodae Transsylvani
ac Siculorum comitis, nunc vero regis) minime parerent, coactus
est contra illos exercitum comparare, arma sumere, vi eos persequi.
Hic viriliter ante aciem exercitus sui aliquot saltem suorum stipa- 17
tus omnibus inspectantibus praecurrens cum eis conflixit ac eos
profligatos dicto audientes esse coegit. Ita hac quoque tempestate 18
Siculi veterum morum ac libertatum Scythicarum necdum sunt obliti.

MARGINALIA.

HUNGARIA.

